6
33 E
10

Digitized by Google

Digitized by Google

6
32
Digitized by Google

EM̃O AC RM̃O DOMINO

S. R. E. C. O.

D. ANDREÆ JOANNETTO

O. S. B. C. C.

ARCHIEPISCOPO BONONIENSI

S. R. I. P.

SE SVAMQVE

EX NOVO TESTAMENTO SYLLEXIM

EXEGETICO-HERMENEUTICO-POLEMICO-
EMPIRICO-CRITICAM

P. F. NICOLAUS COLLEGIALIS COCCHI

O. E. S. P. A.

MODERATORE P. F. JOANNE AUGUSTINO CARABELLONI

D. D. D.



ROMÆ MDCCXCV.

EX TYPOGRAPHIA CANNETTI PROPE PANTHEON

Præsidum Facultate.

Digitized by Google

Σύ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες, καὶ ἐπιστώθης, ἐιδὼς παρὰ τίνος ἔμαθες· Καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφȣς τὰ ἱερὰ γράμματα ὄιδας, τὰ δυνάμενά σὲ σοφίσαι εἰς σωτηρίαν.... Πασὰ γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς επανόρθωσιν, πρὸς παιδέιαν τὴν εν δικαιοσύνῃ. Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τȣ̃ Θεȣ̃ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐ ξηρτυμένος·

Πρὸς τιμοθ. β. Κεφαλαι. γ.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCEPS

Quum *ad* Te EMINENTISSIME , *ac* REVERENDISSIME PRINCEPS *perlatum fuerit non multarum paginarum opusculum , nonnulla ex iis complectens divinæ Sapientiæ oracula , & monumenta , quibus* H Καινη Διαθηκη *Novum Testamentum D. N. J. C. plenissimum extat , minime verendum , ne abs Te religiosissimo , humanissimo-*

que Viro minus pro dignitate excipiatur. Qui enim in primis cordi insitum, insculptumque habes vitam omnem ad Dei O. M. voluntatem, sententiamque esse conformàndam, fieri nullo pacto potest, ut ex divinis Codicibus excerpta, queis cum alii, tum Ecclesiastici homines ad solidam erudiantur perfectionem, absolutionemque cristianæ virtutis, animo lubentissime non amplectaris. Qua vero parte Eminentissime Princeps *amplissimo Tuo nomini inscriptus, sacerque venerit libellus, metuendum profecto erat, ne quæ mirum in modum Te exornat a laudibus quibuscumque abhorrens caeterarum altrix virtus, sin minus invisum, efficeret injucundum. Re quidem vera hacce abreptus ego formidine, quid consilii caperem jam diu fluctuaveram, quum subita quadam novæ spei imagine indutus, atque refectus, nullam esse credidi timoris caussam, si ea quæ sunt in officio, moreque posita erga* Eminentissimum Moecenatem *consulto negligerentur. In hocce aedepol fidei genere ferme gestiens acquievi; eo potissimum quod in deliberando visus mihi fuerim persentiscere tam rerum imperitum futurum neminem, qui quum in ipso libri vestibulo Tuum nomen aspexerit, non continuo ipsa lectione in Tuorum meritorum rediret memoriam, seque in Tua vivendi ratione, illius quæ a Christo Domino per Evangelistas, & Apostolos tradita fuit, illustre quoddam exemplum intueri fateretur. Dum vero difficilima quæque olim a Te sobrie, juste, pie, praeclare gesta minime persequi datur, Sanctissimus adsit Dom. N.* PIUS VI. PIUM *loquor, qui non modo omnium e Catholico gremio Regum, & Principum sibi attraxit amorem, verum etiam alienigenarum multorum, quique nedum utriusque plenitudine Potestatis, sed & Majestate longe*

eo-

Digitized by Google

eorum singulis eminet : PIUM *loquor , qui magnificentissima a Romanis Imperatoribus opera haud optata minus , quam intentata , aut saltem infecta , summa cum publicæ rei utilitate ad finem perduxit felicissime , quique turbulentissimis hisce temporibus Urbis , & Orbis saluti impavidus , iuvictissimusque prospexit :* PIUM *loquor , qui in aulica repèllenda circumventione nulli se prodidit Prædecessorum secundum , quique perinde ac si corda scrutaretur , & renes , in conferendo , quod vel maxime interest , dignioribus , motu ejus proprio Ecclesiastici regiminis dignitates , atque Præfecturas , errori nunquam fiat obnoxius . Nonne* EMINENTISSIME *ac* REVFRENDISSIME PRINCEPS *in Te , Tuisque perillustribus , piissimisque actis mox enunciata veritas plenissime comprobaretur? Sed & in postremis , ne longam recolam Purpùratorum Patrum , ac Præsulum seriem , ad Præfecturas S. P. A. Sacrique Cubiculi evectis micat nitidissime : Horum quippe prior nobilissimum Gentis Carrafeae , splendidissimumque germen ob magnanimitatem , munificentiam , humanitatemque , inter caetera indolis , & ingenii ornamenta cunctis fit ordinibus jucundissimus ; alter vero clarissimo Carraciolio sanguine prognatus , & comitate , & aequanimitate , & reliquis animi dotibus , novum quasi sydus illucescit . Verum , ut repetam ,* EMINENTISSIME PRINCEPS *, nonne Pontificis Opt. maximi iu administrando rite , ac recte Hyerarchico Ordine inerrantia , quocumque Tui celebritas nominis pervasit , jure optimo prædicatur ? Parum igitur est apud eam , quæ Te genuit ex præclarissimis Atavis scientiarum altricem Felsinam , jam tum penitus hanc insedisse sententiam , quum Episcopus ejus administer* DEI , *&* PII PP. SEXTI *gratia fueras consecratus . Parum Concives finitimosque popu-*

populos Pontifici O. M. Nestoris adprecatos fuisse annos, quum Te ejus prope Divina Majestas inter S. C. purpuratos Principes cooptavit. Quid? nonne omnia apud Te charitatis commendatione constantissime personarunt? Hoc, inter caetera, decus illud est, quod in Te Senatus, populusque Bononiensis suspiciunt, in oculis ferunt, admirantur, cui omnes curas, cui vigilias, cui labores, cui opes, cui honestates, cui vitam ipsam Tuam, ac spiritum sentiunt famulari. Quid enim ad eorum, sive utilitatem promovendam, sive gloriam amplificandam, sive dignitatem augendam non quotidie excogitas? Quid vero excogitas, quod constantissime non exequare? Multiplex hinc, atque amplissimus se mihi sisteret evolvendum rerum ordo nullo non tempore memorabilium: Verum ex instituto, deque industria optima quæque de Mœcenate reticenti, neque quot quantaque beneficentiæ monumenta nulla unquam oblivione delenda, Tibi uterque debeat Clerus, licet meminisse. Eja igitur adsit iterum immortalitate dignissimus PIUS PONTIFEX VI. *qui summa ductus ad omnium commoda se demittendi providissima facilitate, pro intermisso non ita pridem, in adversa valetudine domestici, suavissimique Præsulis Ordinis nostri, regimine, Chyrographum Decreti ad hocce instaurandum, quo nemo melius excogitare unquam possit, ictu ferme oculi exaravit: Adsit, inquam, in mentem revocans, quam rite, quam prospere, quam feliciter, Te, motu ejus proprio, Comitiis nostris Bononiensibus, Praeside constituto, verterint omnia. Nos equidem sub Pontificis Optimi Maximi exquisitissima Providentia, Eminentissimo dempto S. R. E. Card.* Johanne Archinto *Patrono præsentissimo nulli magis, quam Tibi debitores esse cognoscimus, ac profitemur. Jus pro-*

propterea illud indulgendum nobis iri facile confidimus, scilicet obtestari etiam, atque etiam, ut, una cum erga Te votis, lucubratiunculam hanc consulas aequi bonique, Vive diu EMINENTISSIME *ac* REVERENDISSIME PRINCEPS *Felsinæ Ecclesiæ, quæ certo certius valebit, dum valebis.*



IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii Apostolici.

Franc. Xav. Passeri Vicesg.

IMPRIMATVR.

Fr. Thomas Vincent. Pani Ordin. Praedicator. Sacri Palatii Apostolici Magist.

Digitized by Google

ANTONIO JULIO M. BRIGNOLE-SALE
PATRICIO LECTISSIMO ET HUMANISSIMO

ΑΤΑΡΑΧΙ'ΑΝ

AC SALUTEM PLURIMAM

P. F. JOANNES AUGUSTINUS CARABELLONI

D.

Quum saepe de observantiae erga Te meae sollicitudine, fide, tenacitate publicum velati pignus mihi fore promendum animo reputavi, tum nullo per me stare posse modo praestitutum consilium novi, nisi forte e re litteraria, & praesertim sacra advenissent suppetiae. Ecquid enim aliud Tui perspecta in me Ευτραπελία *comitate, benevolentia, ne inquam necessitudine, praeter divinum, vel proxime ad divinum accedens, clarissimo Tuo vovendum Nomini cogitarem? Quantum equidem memoria repetere praeterita possum nemo est mihi in tota Reipublicae nostrae Aristochratia Mecoenas antiquior. Sed vetustas, ut cum Tullio naturae exeram voces, habet aliquid commune cum multis; amor non habet. Dilexi Te, quo die cognovi, meque a Te diligi judicavi. Omnia me Tua, jam tum quum ex ephebis apud officiosissimos, excultissimosque Senenses vix excessisses, magnopere delectarunt: sed maxime cum Scientiarum sub institutore optimo* S. P. Solario *nostro susceptae rationes, tum lepos, humanitas, gravitas, aequanimitas, quodque semper caput esse debet Religionis integritas. Meus deinde a Senarum urbe Genuam versus discessus, & vitae dissimilitudo non est passa me diutius Tui praesentia, & consue-*

tu-

Digitized by Google

tudine recreari. Verum optatissimus Tui, perinde ac inopinatus, non multo post, in Patriam reditus, fractum ex absentia moerore animum tam profecto, quam quod maxime confirmavit. Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt. Illud vero obliterare nulla ratione queo, Te, ut primum patrium litus tetigeris, servo a pedibus injunxisse, ut ante ad me, quam domum nuncius advolaret. Sed quid longinqua singillatim percenseam? Nunquam officium Tuum, nunquam studium, nunquam literae, nunquam beneficentiae argumenta in me iterum, ac tertio diutissime absentem defuere. Quid? quod pene confecto ob absentiam aegritudine animo jucundissimus Tui aspectus, ac familiaritas magnum identidem attulit leniinen? Testis semel, iterumque esset, quae me ad septem tenuit annos Felsina; Florentia testis (Utinam & Roma sit futura) quae, ut honestate, sic suavitate plenissimas referret vicissitudines. Quorsum vero haec oratio longior quam putaram? Quia sum ratus mei erga Te obsequii rationes, quas vix verbis exsequi possem, sin minus enucleate, fuisse perfunctorie commemorandas. Meam itaque fidem de publico obsequentis animi testimonio opportunius liberaturus, pro re nata nunc oro obtestorque, ut hanc ex N. T. Syllexim Eminentissimo, ac Reverendissimo S. R. E. Cardinali amplissimo D. Andreæ Joannetto inscriptam, aliamque, cui titulus: Excursio in Religionis elementa: penes eximiae Tui Bibliothecae miscellaneorum pluteos, locum habere patiaris. Utramque porro Te ἐυσεβην, καὶ Φιλορομᾶιον, qualem probe habeo, æqui bonique esse facturum minime vereor. Illud enixe rogo, ut sphalmata, quae offendes multa, Typothetarum vertas oscitantiæ. Cures velim potissimum, ut valeas. De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum.



EX NOVO TESTAMENTO

SYLLEXIS.

I.

ET si nonnemini abs re videri queat, selectam de novo fœdere exegeticam diatribam, ex obsoleto auspicatam arrisisse, tamen, nec inconsulto, nec incondite, nec frustra id genus exordii nobismetipsis præstitutum, opinamur. Vetus Testamentum Deo Optimo Maximo acceptum esse referendum, quotquot (ex nostra communione ad sobrietatem sapiunt) Theologi facile profitentur. Longe vero aliter visum est eorum bene multis, qui jamdudum ex nobis exierunt: Quidam enim Legem veterem partim a Deo, partim a Mose, partim a Senioribus institutam autumarunt, eoque dementiæ cum Manete, atque Marcione alii devenerunt, ut a diabolo, seu malorum omnium fictitio quodam principio latam asseruerint. Adversus Marcionem Ponticum genere, altero vertente Ecclesiæ sæculo, Gnosticorum erroribus imbutum, acuit stylum Tertullianus. Manichæorum molimina, Faustum exagitando, dejiecit magnum Ecclesiæ columen S. P. Augustinus. Abrogatum Testamentum Deum habuisse auctorem, tradidit in expositione epistolæ ad Titum Doctor maximus Hieronymus; Patrum imo omnium hacce de re unicuique præsto esse poterit consensus. Hinc Toletanum Concilium in Fidei Confessione sic statuit: „ Si quis dixerit, aut cre-

„ diderit alterum esse Deum priscæ legis, alterum Evangeliorum, „ anathema sit „ ac prorsus similia in decreto de Canonic.Scriptur. Sess. IV. complexum est Tridentinum. Optimam apposite Præceptor Angelicus 1. 2. qu. 98. art. 2. ad expungenda Manichæorum deliria protulit rationem, Legem, nimirum veterem, cum perhibendo de Christo testimonium, tum ab idololatria removendo ad Christum homines ordinasse, adeoque diabolum legem minime instituisse „ ut „ homines adducerentur ad Christum, per quem erat ejiciendus. „

II. Multis nominibus Legem veterem a nova discriminari, in primis vero, quod illa symbolica, typica hujus gratia fuerit instituta, mysteria praesignaret, fructumque uberrimarum gratiarum polliceretur, isthæc reapse promissam attulerit hæreditatem, unctionem Spiritus Sancti, libertatem filiorum, (1) eamque adoptionem, per quam omni soluti reatu e vita migrantes, jure quodam hæreditario sempiterna illico retributione potiuntur, orthodoxorum nemo non approbat. Novæ proinde Legis prae veteri perfectionem, atque excellentiam, assolent Theologi, nec immerito, exponere, ducta comparatione a parvulo, viroque perfecto, aut arboris in semine delitescentis, ac inde germinantis, pomaque saluberrima proferentis. Evangelium itaque Mosaycae Legi, quamvis utrumlibet divina gaudeat institutione, praecellere dignitate, Religioni ducimus non ambigere. Ad rem S. P. Augustinns lib. I. de Consen. Evangelis. cap. I. scribens; „ Inter omnes divinas auctoritates, quae sanctis litte„ ris continentur, Evangelium merito excellit; quod enim lex, & „ Prophetae futurum praenuntiaverunt, hoc redditum, atque com„ pletum in Evangelio demonstratur „

III. Quid Evangelii nomine veniat, sciscitanti respondet S. P. Au-

(1) Iniquo præposteroque sensu Evangelicam libertatem interpretari maluerunt Lutherus, & Calvinus, aliique pseudo-reformati effutientes nullo fideles in nova lege obstringi præcepto. Pravum ejusmodi dogma consectarium illius est, quo statuunt fidem divinarum promissionum unicam nobis esse salutis causam. Ad orcum sic illud Tridentini Concilii Patres cap. 19. Sessio. VI. remiserunt „ Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem; cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit. „ Non tædet S. P. Augustinum futuras præoccupaniem hæreses exscribere. „ Si Christus, inquit, lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. nobis abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum . . . nunquid propterea dicturi sumus ad nos non pertinere, quod scriptum est, ut alienum quodcumque perditum quisquis invenerit, reddat ei qui perdidit . . . ? Quis enim dicat non debere observare Christianos, ut uni Deo Religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatnr aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideo se ista legis non custodire præcepta, quia ipse est Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus?

Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 2. „ Ipsum nomen, si quaeratur, quid latine interpretetur, *bonum nuntium* dicitur Evangelium, „ vel *bona annuntiatio*: Quod quidem cum aliquod bonum nuntiatur semper dici potest, proprie tamen hoc vocabulum obtinuit illa, quam dixi, annuntiatio Salvatoris „ ac paulo superius scripserat. „ Narratores quippe originis, factorum dictorum passionis Domini nostri Jesu Christi proprie dicti sunt Evangelistae. „ Plurimi, ut ad alia gressum faciamus res a Christo Domino gestas litteris demandarunt; quemadmodum videre est praesertim apud Cotelerium, Grabium, Fabricium, qui de libris apocryphis uberrime conscripserunt. Sat vero interim nobis Hieronymum testem amplissimum laudare „. Est illud, *Evangelium*, ait prooem. in Matth., „ juxta Ægyptios, & Thomam, & Mathiam, & Bartholomaeum, duodecimque Apostolorum, & Basilidis, & Apellis, ac reliquorum, quos „ enumerare longissimum est. „ Verum ex tanto Evangeliorum numero Sancta mater Ecclesia, quae divino agitur, & regitur spiritu, nonnisi quatuor probavit, quoniam solummodo quatuor divinitus reperit exarata. Ut enim bene habet S. P. Augustinus lib. I. de Cons. Evangel. cap. I. „ Caeteri homines, qui de Domini, vel de „ Apostolorum actibus aliqua scribere conati, vel ausi sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, „ atque in auctoritatem Canonicam sanctorum librorum, eorum scripta reciperet. Nec solum, quia illi tales non erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam, quia scriptis suis quaedam „ fallaciter indiderunt, quae Catholica, atque Apostolica regula fidei, & sana doctrina condemnat. „ Jam vero heic adoriendi sunt impii, pessime depraedicare assueti quatuor Evangeliorum delectum, ideo in Ecclesia obtinuisse, quod oeconomicae ejus agendi rationi visus olim fuerit accomodatior. Id vero melius haud confici per nos posse censemus, quam prorsus insistentes vestigiis praeclarissimi Urbis, & Orbis luminis Hyacinthi S. R. E. Cardinalis Gerdilii: en quomodo in eruditissimo libro, cui titulus - *Saggio d' Istruzione Teologica per uso del Convitto Ecclesiastico dedicato alla Santità di Nostro Signore Papa PIO VI.* Romanae edictionis pagina vigesima incredulos perstringat. „ Ciaschedun Cristiano tesseva una istoria a suo modo, dicono essi; La Chiesa dipoi sendosi ampliata con certo regime, e forma più regolare, si fece tra i molti Vangeli, che correvano la scelta di quei quattro, li quali parvero men discordanti, e più convenienti al sistema, ch' ella prendea. Suppongono per tanto, che ne primi tempi, tutti que' Vangeli, o atti avessero un egual grado d' autorità nelle moltiplici Chiese, che di già erano spar-

se per l'Oriente, e l'Occidente. Ma questa ideale supposizione si convince di aperta falsità colla sola testimonianza di S. Ireneo (lib. 4. contr. haeres. cap. 11. n. 8.) sì vicino a tempi Apostolici, per la quale (tacendo di molti altri non solo posteriori, ma anche più antichi, quale fu S, Giustino) consta onninamente, che non altri Vangeli venivano riconosciuti come Divini, fuorchè i quattro soli, che veneriamo per tali. S. Ireneo non ha dato egli col suo voto l'autenticità a quei quattro Vangeli, ma rende testimonianza all'autenticità, che aveano di già nella Chiesa prima di lui. Ora si vorrebbe, che in quel breve intervallo, che scorso era da tempi Apostolici, assegnassero li miscredenti una Epoca possibile, in cui le Chiese di Oriente, e di Occidente siansi radunate, o intese per fare di comun consenso lo scandaglio di quella varietà di Vangeli per accettarne soli quattro, e rigettare gli altri. E' causa disperata il ricorrere al Concilio di Laodicea di troppo posteriore alla stabilita autenticità de quattro Sacri Vangeli. Oltre dicchè se le stesse Chiese, come essi vogliono, si sono formate nella stessa guisa, che furono composti i differenti atti de primi tempi, cioè senza centro di riunione, senza consenso di principj, e di dottrine, come mai avranno potuto queste convenire in un medesimo sentimento? E perchè volere spaziare in immaginazioni capricciose là dove i fatti sono parlanti? A tempi di S. Ireneo quattro soli Vangeli erano autorizzati come Divini, e lo erano, siccome n'era ancora recente la memoria, perchè ricevuti dagli Apostoli, e conservati nelle Chiese Apostoliche. Questa gelosa attenzione delle Chiese in custodire le Scritture tramandate dagli Apostoli appare anche manifestamente dal (Euse. Hist. Eccl. li. 6. ca. 12.) fatto di Serapione di Antiochia riguardo al supposto Vangelo di S. Pietro, che si leggeva nella piccola Chiesa Rossonense nella Cilicia; ove si nota la novità della produzione di un tal Libro introdotto da Dociti, e ignoto alla Chiesa di Antiochia, e indi si dà per regola di non ammettere come Divine altre scritture fuor quelle, che vengono dagli Apostoli. „ Isthaec profecto eam emittunt lucem, quae impiorum caligines, nisi oculos pertinaciter clauderent facile rarefaceret.

IV. Evangelistas quatuor Matthaeum, Lucam, Marcum, Joannem, juxta Sanctos Ecclesiae Patres repraesentarunt quatuor animalia in visione Ezechielis cap. I. & Joannis in Apocalip. cap. IV. Ut enim habet Hieronymus lib. I. contra Jovinianum, Matthaeus quasi de homine incipit scribere: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*; Lucas a Sacerdotio Zachariae: Marcus a Prophetia Malachiae, & Isaiae. Primus habet faciem hominis, propter genealogiam, secun-

cundus faciem vituli, propter Sacerdotium, tertius faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto, *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Joannes vero quasi aquila ad superna volat. Interim tamen, quoniam, ut observat S. P. Augustinus lib. I. de consen. Evangelis. cap. 6. in hac animalium, & Evangelistarum comparatione non tam initia librorum, quam tota scribentium intentio, ac scopus sunt attendenda, illos interpretes praefert Augustinus, *qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Joanne intellexerunt*. Rationem hujus subdit Sanctus Doctor dicens: „ Multo enim congruentius ille, qui regiam Christi personam maxime commendavit, per leonem significatus accipitur: unde & in Apocalypsi cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, ubi dictum est. *Vicit leo de tribu Juda* . . . . Quod autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam Sacerdotis, neutri dubitaverunt . . . . Marcus ergo, qui neque stirpem regiam, neque Sacerdotalem, vel cognationem, vel consecrationem narrare voluit, & tamen in eis versatus ostenditur, quae homo Christus operatus est, tantum hominis figura in illis quatuor animalibus significatus videtur. Haec autem animimalia tria, sive leo, sive homo, sive vitulus in terra gradiuntur: Unde illi tres Evangelistae in his maxime occupati sunt, quae Christus in carne operatus est, & quae praecepta mortalis vitae exercendae carnem portantibus tradidit. At vero Joannes super nubila infirmitatis humanae velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis, atque firmissimis oculis cordis intuetur. „ (1)

V. Quonam ordine, lingua, tempore, quorum hortatu, ac precibus, queis in regionibus Evangelia fuerint exarata Πολυμερῶς, καὶ Πολυτρόπως inquirere, & evolvere solent Critici peritiores. Nobis summorum virorum labores improbos, atque conatus vix audentibus aemulari, nonnisi pauca, eaque obiter datur attingere. Matthaeum omnium primum conscripsisse Evangelium testatur Hieronyimus, illiusque exemplar Hebraicis expressum litteris secum apud Indos detulisse Bartholomeum; quod quidem apud illos ad Commodi tempora fuisse asservatum, notat Eusebius. In Graeciam quoque asportaverat Sanctus Barnabas, cumque ejus corpore inventum esse sub Ze-

(1) Sedulius vetus Scriptor lib. I. de Opere Paschali ad Christum alloquens sic cecinit:
Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet.
Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis.
Jura Sacerdotii Lucas tenet ore juvenci.
More volans Aquilæ verbo petit astra Joannes.
Quatuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora ceu totidem latum sparguntur in orbem.

Zenone Imperatore, auctor vitae ejus enarrat. Illud etiam pro concionibus exposuisse Jerosolymitanis S. Jacobum fratrem Domini scribit Athanasius. Per haec vero tempora ea, qua scriptum fuit lingua, non extat: Illud enim Hebraeum a Munstero editum, ceu spurium audit; Syriacum vero quod circumfertur longe Matthaei saeculo est recentius. Sed jam mentem subit bene multos vitio vertere longius evagari. Matthaeum ordine primum Evangelium litteris consignasse, praeter Irenaeum, Athanasium, Hieronymus, aliique propemodum *αναρίθμητοι* tradiderunt. Accedunt Codic. M. SS. Bibliothecae Colbertinae, Regiae Parisiensis, Cantabrigiensis, & quotquot legere potuit Richardus Simonius vir utique Sanctos Ecclesiae Patres temere, & inique suggillans, fidei vero minime sublestae in referendis veterum monumentis; Omnes quippe Codices Evangelia complectentes ordine praeferunt Matthaeum. *τὸ κατα Ματθαῖον Ε'υαγγέλιον*: Sic incipit Colbertinus Codex, qui ut habet Simonius: *Histoire Critique du texte du nouveau testament*, *Chapitre* X. jam tunc septingentorum circiter erat annorum, & ab insula Cypria fuerat delatus. Idem est initium Cod. Regio-Parisiensis cum addito *ἅγιον*, Evangelium afficiente. Imo variantia utique, quod postmodum observabimus, legere est circa Evangelistarum ordinem exemplaria, non vero respectu Matthaei in omnibus primo loco constituti.

VI. Divum Marcum celeberrimum illum Petri Apostolorum Principis discipulum, & interpretem (ut Irenaeus lib. 3. cap. 8. aliique passim Ecclesiastici Scriptores eum appellant) alterum a Matthaeo Evangelium scripsisse sanae mentis Criticorum nemo inficiatur. Communis adeo inter Patres haec est sententia, ut omnis dubitationi aditus praeripiatur. S. P. Augustinus lib. I. de consen. Evangel. cap. 2. ait, Marcus Matthaeum subsecutus tamquam pedissequus, & breviator ejus videtur. „ S. Epiphanius haeresi 51. num. 6. sic scribit: *Εὐθυς δὲ μετὰ Ματθαῖον ακόλουθος γενομενος ο' Μαρκος τῶ ἁγίο Πέτρο, ἐν Ρ'ώμε επιτρέπεται τὸ Εὐαγγέλιον εκθεσθαι*. *Post Matthaeum vero, statim Marco, qui Divum Petrum secutus erat potestas fit Romae Evangelium exarandi*. Ad haec. Sapientissimis, saluberrimisque instructi monitis Eminentissimi S; R. E. Cardinalis Gerdilii (1) liben-

(1) Selectissimis exemplis in libro jam laudato parte 2. Dissertat. 3. sub titulo *Saggio* &c. pag. 78. etiam atque etiam suadet e re esse Catholicorum argumentia uti, quae proferunt Novatores. quotiescumque nobis faveant. Multo itaque magis dabitur Richardi Simonii, viri ob critices intemperantiam non laudandi, alioquin vero catholici, rationes caute amplecti, recudere monumenta. Scribit itaque Capitulo X. C'est aussi dans cet ordre, qu' il sont rangès dans un assez grand nombre d'Exemplaires M. SS. que je ay lùs. Ils sont cependant disposea autrement dans l'Exemplaire

benter Richardi Simonii arripimus testimonium. Is codices proferens, in quibus Divus Marcus ordine secundus reperitur, alios subinde affert; apud quos sic ordo intervertitur, ut Matthaeo Joannes, huic Lucas, ac tandem Marcus subsequatur, Nihiloverominus concludit ejusmodi exemplarium discrepantiam, non posse eliminare scriptorum omnium Ecclesiasticorum sententiam, quae Marco post Matthaeum inter Evangelistas primum tribuit subsellium. Liceat Simonium ad subnotationum calcem excribere.

VII. Eorum plurima Sanctorum Ecclesiæ Patrum rationum monumenta, quæ Mathæo Primum, deinde Marco Evangelii conscriptionem adiudicant, post Marcum etiam Lucam Antiochenum, ac demum Joannem, eandem sibimetipsis demandasse provinciam, itidem confirmant. Quo enim prioritatis ordine apud veteres potissimum Scriptores Ecclesiasticos Evangelistae adnotantur, eodem & Evangelium litteris tradidisse tam exploratum videtur, quam quod maxime. Nec sane Cantabrigiensis Græco-latinus Codex aliique perpauci nuper ex Richardo Simonio allati Joannem Lucæ præponentes, quidquam obstant; quippe quod cæterorum melioris notæ Codicum auctoritatem nequeant elevare, multoque minus concordem Scriptorum Ecclesiasticorum elidere consensionem. Hanc porro oculis subiicere haud foret operosum. Præterquam vero quod ex paulo ante delibatis affatim innotescit, unus adinstar omnium esse poterit Hieronymus. Is Pontificem Opt. Max. Damasum, qui ipsi injunxerat novum opus ex veteri facere, nimirum ut, post Scripturarum exemplaria inter se variantia toto orbe dispersa, illa decerneret, quae cum Graeca veritate consentirent, sic Praefat. in Evangelis. est alloquutus. „ Praetermitto eos codices, quos a Luciano, & Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio . . . . Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelistas, quorum ordo est iste, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes. „ Splendidissimae Patrum traditioni Simonius etiam facile acquievit scribens de Luca Evangelista: Histoire Critique chap. 12. *Nous Savons seulement en general, que les anciens ecrivains Ecclesiastiques conviennent tous, qu' il n' a ecrit, que après Saint Matthieu, et Sanit Marc.* Joannem denique omnium postremum (1) Evangelio exarando operam

re Grec, & Latin de Cambrige... Mais cette differente disposition des Exemplaires des Evangiles ne detruit point le sentiment universel des Ecrivains Ecclesiastiques, qui donnent tous le second rang à St. Marc entre les Evangelistes.

(1) Temporis ordinisque prioritas haudequidem uni præ alio Evangelistarum firmiorem conciliat authoritatem, majoremve dignitatem, quod quidem non raro in reliquis pensitandis scriptoribus non theopneustis occurrit. Par illorum singulis adhibenda

ram dedisse testis est disertissimus, & omnigena cruditione summus Hist. Eccles. apud Eusebium lib. 6. cap. 14. Clemens Alexandrinus, qui sic effatur. *Τόν μέντοι Ἰωάννεν ἔχατον σινιδόντα, ὅτι τά σωματικά εν τοῖς Ευαιγελίοις δε δήλωται, προτραπέντα ὑπό τὸν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορέθεντα. πνευματικόν ποίεσαι Ευαγγέλιον.*

VIII. Eloquio familiari Hebraeis Jerosolimae commorantibus. Chaldaeo nimirum (1) aut Syriaco per illud temporis S. Matthaeus Evangelium exaravit. Haec majorum constans trađiditio, haec venerandae antiquitatis sententia, hocce extans adhuc orientalium Cod. M. SS. certissimum testimonium, (2) Re quidem vera Papias discipulorum Christi contemporaneus, Irenaeus, Origenes, ut Eusebius habet histor. Ecclesiast. lib. 3. 5. & 6. rem de qua agimus. nitidissime testantur. Accedit S. P. Augustinus lib. 1. de Consen. Evangelis. cap, 2. inquiens. „ Solus Matthaeus Hebraeo scripsisse perhibetur eloquio. „ Similiter Hieronymus praefat. Comment. in ciebat

da est fides, idem præstandum obsequium magno docente Augustino divina ordinatione factum esse, ut alius alium in scribendo præcederet. Sic enim S. P. in lib. 1. de Consen. Evangelis. cap. 2. inquit: „ Alius eis fuit ordo cognoscendi, atque prædicandi, alius autem scribendi . . . in scribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum, quos ante passionem Dominus elegit, primum, atque ultimum locum duo tènuerunt. Primum Matthæus, ultimum Joannes, ut reliqui duo, qui ex illorum numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tanquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur. „ quod si de compàrativa Evangelistarum ad invicem personæ dignitate sit sermo, Joannes dilectus Christi discipulus, qui supra pectus ejus in coena recubuit, reliquis videtur anteponendus. Ipsis quoque Evangeliis inspectis, quod attinet ad scribendi rationem, Joannes Basilio teste, cæteris præcellit: „ In ipsius autem Evanglii laudibus (ait in verba illa Joannis *In principio erat verbum*) & sermonis magnitudine, & sententiarum gravitate Joannes filius tonitrui primas obtinet. „

(1) In Ecclesiæ incunabulis veterem Hebræorum linguam haud amplius vernaculam apud illos luisse inter eruditos facile convenit. Caldaice vero, aut Syriace tunc fuisse locutos, & Evangelio Joannis, & actis Apostolorum evincitur. Plura apud Joannem reperire est vocabula Chaldaica, aut Syriaca, quæ ibidem Hebræa appellitantur ex. gra. Beth-Cheseda [illegible] idest domus sive locus gratiæ aut misericordiæ cap. V. v. 1. Γαββατά, Γολγοτά &c.

(2) Il n'y a point mème aujourd hui de Societè Grètienne dans le Levant qui ne soit persudee que l' Evangile Grec de Saint Matthieu n' est qu' une Version du Texte Ebreu. C' est pourquoi l' on trouve a la fin de quelqeus Exemplaires Grecs qu' il a etè publiè ἐν Ἱεροσολύμοις, à Jerusalem. On lit aussi à la fin de la Version Syriaque du mème Evangile: que Saint Matthieu l'a prèchè en Ebreu dans la Palestine. Quelques Exemplaires de la Version Arabe, et la Traduction Persienne ont aussi dans le titre, qui est au commencement de St. Matthieu, qu' il a etè ècrit en la langue Hebraique. Ce qui s' accorde parfaitement avec les anciens Ecrivains Ecclesiastiques, dont le sentiment a etè expliquè en peu de mots par Saint Jeròme. Matthæus, dit ce Pere, Evangelium in Judæa Hebræo sermone edidit ob eorum maxime causam qui in Jesum crediderant ex Judæis Præf. Com. in Matthæum. Hactenus ex Richardo Simonio cap. V. Historiæ criticæ N. T,

Matth. ait „ Evangelium in Judaea Hebraeo sermone edidit , ob eorum maxime causam , qui in Jesum crediderant ex Judaeis . „ Ærasmus inter eos solet recenseri , qui firmam adeo veterum authoritate sententiam , primitus moliti sunt vellicare , & Matthaei autographum Evangelium , Graeco scriptum idiomate , atque in Hebraeum translatum venditarunt . Matthias Flaccus illiricus , Joannes Ludovicus Wolzogenius , ut alios praetereamus , Erasmi tentamen conati sunt roborare . Verum inanes Erasmi , & asseclarum in hocce rerum genere velitationes , plurimi dispunxere . Quam praeter alia , obiiciebat Erasmus Matthaeum inter . & Marcum styli consonantiam , sic diluit Jacobus Stunica init. annotat. in eundem Erasmum . „ Non hoc mirum videri debet , si loquendi idiomate omnes conveniant , etiamsi diversis linguis Evangelium conscripserint : erant enim ejusdem generis , hoc est Hebraei ex Hebraeis , & qui Graece ex illis scripserunt , patriae linguae proprietatem in Graeca scriptura saepissime referunt . „ Lubet etiam obiter advertere , quomodo Isaac Vossius opinionis , quam paulisper excussimus , abjecerit novitatem ; Sic porro scripsit in append. ad lib. de LXX, interpret. „ Audio semitheologos quosdam Rabbinistas omnium Patrum , omniumque Ecclesiarum testimonia conculcare , ac serio affirmare Matthaeum non Hebraice , sed Graece scripsisse . stulti simus , si istiusmodi deliriis aliquid reponamus . „

IX. Graece ne , an potius Latine , vel etiam utraque lingua S. Marcus scripserit Evangelium , arduum nobis est definire . S. P. Augustinus Evangelium a Marco Graece Scriptum videtur asserere in lib. de Cons. Evang. cap. 2. per haec verba „ Horum sane (nempe Evangelistarum) quatuor , solus Matthaeus Hebraico scripsisse perhibetur eloquio , caeteri Graece „ Sed dubium suboritur , an aliorum eo loci magis promat sententiam , quam propriam . Clarius S. Ecclesiae D. Hieronymus , qui Evangelium Marci Latine interpretaturus Graecum textum loco archetypi adhibuit , mentem eius aperuit scribens in Ep. ad Damasum 123, „ De novo nunc loquor Testamento , quod Graecum esse non dubium est , excepto Apostolo Matthaeo , qui primus in Judaea Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit . „ Hisce aliisque momentis permoti Critici recentiores Orthodoxi , ac eterodoxi pro autographia Craeca Evangelii juxta Marcum viriliter steterunt , Grotius nimirum annotat. in titul. Marci . Caveus in praefat. Apparat. ad Harmon. Evangeli . cap. 6. Tillemontius Histor. Litter. T. 1. pag. 11. Bollandistae in Marcum , Fabricius Bibliot. Graecae T. 3. Calmetius Prolegom. in Mar. Basnagius ad an. Chr. 66. num 16. aliique plurimi . Verum Eminentiss. Baronius

nius ad an. 45. num. 39. & Seldenus in Origines Alexandrinas Eutychii aliter sentientes, Latino sermone a Marco exaratum docent, eisque reapse Syriacus, Arabicus, & Persicus textus suffragantur, quin & plura M. SS. Graeca, & quidem non spernendae antiquitatis. Illud laudare est saeculi 6. in Bibliot. Laurentiana Plut. 1. num. 56., in quo non solum legitur Marcum *Romane* scripsisse in urbe Romae; verum etiam Graecae Epigraphae Lucae, & Joannis Evangeliis appositae observantur. Hinc vir Clar. Petrus Ambarachius Maronita, qui laudati Codicis, aliorumque M. SS., Orientalium Laurentianae Bibliot. historiam texuit, ubi eas Epigraphes interpretatus est, sic subdit. „ Consulto has Epigraphes integras fideliter ex Syriaco retuli, ut vel hinc discant Censores quidam τὴν ἀλαζονείαν, καὶ τὸν τύφον deponere, sciantque non adeo novam esse Romanorum sententiam, quod Matthaeus Hebraice scripserit, & Marcus Latinis hominibus Latinum dederit Evangelii textum, ut jactare possint, quod nullum extat hujus rei apud veteres vestigium, praeterquam apud Damasum in vita Petri. „ (1) Nihilo tamen minus Augustino, & Hieronymo Magistrorum optimis libentius adhaerescimus, eoque idiomate scriptum a Marco Evangelium arbitramur, quod veteres Romani praediligebant adeo, ut Juvenalis Satyra 6. cecinerit de mulieribus.

Nam quid rancidius, quam quod non se putat ulla
Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce;
Cum sit turpe magis nostris nescire latine:
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas
Hoc cuncta effundunt animi secreta . . . .,

In hanc demum sententiam eo etiam facilius flectimur, quod, ut Grotius observavit annotat. in titulum Marci a Richardo Simonio propterea laudatus: „ Judaei, qui Romae agebant plerique latini sermonis ignari longa per Asiam, & Graeciam habitatione, Graecam linguam didicerant, et Romanorum vix quisquam erat non Graece intelligens.

X. Criticorum recta ratione utentium renuit nemo Lucam, & Joannem

(1) Nullus ferme esset disquisitioni locus an Latino, vel Græco idiomate Evangelium ejus Marcus scripserit, si Codex apud Venetos asservatus vere esset autographus. Monfauconius Latinos characteres asserit habere, neque hacce de re dubium suboriri potest totam ejus historiam legenti, prout eam refert Monfauconius. Et si vero summus iste vir, qui celebriores omnes Europæ Bibliothecas scrutatus est, se antiquiorem nunquam vidisse affirmet, tamen non inde movemur, ut illum Codicem Marci Autographum habeamus.

Digitized by Google

nem Hellanistica, seu Graeca lingua Evangelium conscripsisse. Assolent vero contentiose inquirere, ubinam id ipsum Evangelistarum singuli praestiterint. Matthaeum Jerosolimis hocce peregisse non ambigitur, Scribente Athanasio in fine Synopsis: „ Evangelium secundum Matthaeum ab ipso Matthaeo Hebraica dialecto conscriptum est, & editum Hierosolymis, & interpretante Jacobo fratre Domini. „ Inter explorata itidem statuendum est, Marcum Romae in Evangelio exarando operam contulisse. Id porro memoriae prodiderunt Hyeropolitanus Episcopus Papias, Joannis Apostoli discipulus, Clemens Alexandrinus, sicut videre est apud gravissimos viros Eusebium, atque Hieronymum hocce ipsum adprobantes: Scribit Eusebius Histor. Eccles. lib. 2. Cap. 14. edit. Vales. 15. tantum veritatis fulgorem in mentibus auditorum, videlicet Romanorum, illuxisse, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent Caelestis verbi doctrinam viva voce accepisse, sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. &c. Narrationem vero sic absolvit. Κλήμησ ἐν ἕκτῳ τῶν υποτυπώσεων παρατέθειται τὴν ιστορίαν συνεπιμαρτυρεῖ δ' αὐτῷ ὁ ιεραπολίτησ επίσκοποσ ὀνόματι Παπίας. *Refertur id a Clemente in sexto libro institutionum, & testem ei se adjungit Papias Episcopus Hieropolitanus.* Sed Hieronymum quoque adeamus, qui in libro de vir. illustr. in Marco sic loquitur. „ Marcus discipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referententem audierat rogatus Romae a fratribns breve scripsit Evangelium „ Consentientem laudare est Epiphanium, cujus haec haer. 51. num. 6. sunt verba: Εὐθύς δὲ μετὰ Ματθαῖον ἀκόλουθος γενόμενος ὁ Μάρκος τῷ ἁγίῳ Πέτρῳ ἐν Ρόμῃ ἐπιτρέπεται τὸν Ευαγγέλιον ἐκθέσθαι, καὶ γράψας ἀποστέλλεται ύπο τοῦ ἁγίου Πέτρου εἰς τήν τῶν Αἰγυπτίων χώραν. (1) Idem voluit innuere Gregorius Nazianzenus, ubi cecinit Marcum Ausoniae Genti miracula Christi exposuisse Petri nixum verbis, & fide.

Μαρκὸς δ' Αὐσονίοισι Θεοῦ ταδὲ θαύματ' εγραψε
Πέτρῳ θαρσαλέος &c.

Obstat quidem hactenus exaratis Chrysostomus, qui Homil. 1. in Caput primum Matth. scribit, famam tunc temporis fuisse, Marcum

 disci-

(1) Eruditissimus Petavius, cui omnium optimam Epiphanii editionem debemus, S. Doctoris locum sic vertit: Itaque post Matthaeum, statim Marco, qui Romae S.Petri comes fuerat, scribendi Evangelii provincia committitur, quod cum fecisset a Petro in Ægyptum mittitur. Sed huic interpretationi non possumus acquiescere.

discipulis rogantibus Evangelium in Ægypto exarasse. Recedendum heic vero est ab ejus sententia. Unus sane caeteris adversatur; rem obiter attingit, neque ex proprio sensu videtur loqui, contentus animadvertere, quod illud tradebatur. Quid si quis diceret S. Marcum Christianis, qui Romae erant, Evangelium praebuisse ex munere interpretis Petri, qui in ea Urbe omnium principe I. Christum annunciabat; idemque Evangelium primis Ægyptiorum Christianis tradidisse ex officio Apostoli, & Antistitis? Erravit igitur Velenus falsitatis insimulans Romae Evangelium a Marco fuisse editum: „ Animadvertit Haereticus (sic habet Petrus Franciscus Phogginius in dissert. 11. de Rom. D. Petri itinere) duos fuisse heroas Marci nomine dictos, unum appellatum Joannem Marcum, de quo in actis Ap. c. 12. & 15. Alterum autem dictum Marcum Aristarchum, de quo in *Epist. Pauli ad Philemonem v.* 24. Itaqne primum scripsisse Evangelium, & Alexandrinum Episcopum fuisse, Petri discipulum, & Sectatorem, sed Romam nunquam vidisse; alterum vero Romam cum Paulo venisse, sed minime Evangelium scripsisse: porro a veteribus, quae duobus Marcis conveniebant, uni tributa esse, & inde commentum illud confictum, quod Marcus Evangelium suum Romae scripserit. Tot errores, Phogginius reponit, qnot verba. Ne quid de illo loquar, quod Velenus existimat in Epist. ad Philem. Marcum, & Aristarchum unum esse hominem, cum sint duo, risu omnino dignum est, quod velit Marcum Evangelistam Romae non fuisse, quia fuit Episcopus Alexandrinus, quasi non potuerit Roma Alexandriam a D. Petro mitti .... Haud minus autem se ineptum ostendit, cum Joannem Marcum Evangelii auctorem esse putat. Joannes Marcus, qui Barnabae consobrinus erat, & Pauli discipulus, ut colligitur ex *Cap.* 11. *&* 15. *Act.* & ex *Ep. ad Coloss. Cap. ult.* nec non ex *Ep. ad Timot.* 2. nunquam sane, quod constet, conscribendi Evangelium consilium coepit. Et quidem: si ipse Evangelium, quod secundum Marcum inscribitur, litteris mandasset, undenam Petro illud nonnulli (teste Hieronymo) tribuerunt, & non Paulo, cujus discipulus Joannes Marcus? Re sane vera S. Hieronymus in Catal. Script. Ecclesiastic. de Petro inquit: „ Sed & Evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus, & interpres fuit, hujus dicitur. „ At Veleno misso, nil quoque minus hallucinatum remur Guilelmum Caveum in Histor. litter. Script. Ecclesiast. T. I. ubi fatetur utique D. Marcum Romae Evangelium in lucem edidisse, sed Marcum illum esse, quem, ut Romam veniat, optat Paulus II. ad Timotheum. Istum in Epistola etiam ad Philemonem, & ad Colossenses commemoratum Pauli discipulum novimus, illum vero Evange-

ge-

gelistam Petri Apostolorum Principis comitem, discipulum, interpretem. Ubinam, ut alia prosequamur, Lucas, & Joannes Evangelium litteris consignaverint, nostrum nunc foret adsignare: Quoniam vero Criticorum neminem licuit expendere, qui hanc de topographica Evangelii editione ex professo dirimat controversiam, sat adnotasse erit cum Hieronymo in proem. Comment. in Matth., Lucam in Achajae, Boeotiaeque partibus volumen, nempe Evangelium condidisse, Joannem vero in Asia. Ad haec. Irenaeus in lib. 3. adversus Haeres. & Athanasius in Synop. Script. Eccles. Ephesi Asiae Joannem commorantem Evangelium composuisse, memoriae proditum reliquerunt.

XI. Qua data singulis occasione, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes de Evangelio concinnando fuerint solliciti, Criticorum praesertim est decernere. Quaedam, antequam hisce manum admoveamus, lubet oculis subiicere. Atque in primis, nullo jussu Domini, quod extet in sacro Codice, Apostolos ad scribendum mentem appulisse, ut inquit Clar. Bernardus Lamy in App. Bib. lib. 6. Scilicet dixerat Deus ore Jeremiae cap. 3. *Dabo legem meam in visceribus eorum*, *& in corde eorum scribam eam*. Sancti Patres observant Ecclesiam potuisse carere omni scripto, quod eleganter dicit B. Chrisostomus prima Homilia in Matthaeum. = Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tam puram in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus Sancti uteremur; & sicut atramento illi, ita corda inscriberentur a Spiritu. Quia vero hanc a nobis excussimus gratiam, age vel ad secundam navigationem animum adjiciamus. Equidem quod primum illud fuerit profecto sublimius, & ex verbis suis Deus, & ex operibus ostendit. Nam & Noe, & Abrahae, ejusque posteris, & Job, & Moysi non per litteras, sed per semetipsum locutus est, quia scilicet munda eorum corda repererat. Postquam vero omnis populus Judaeorum in vitiorum ima delapsus est, necessario inde litterae dantur, ac tabulae; & ea quae per has administrantur admonitio. Et hoc non tantum veteris Testamenti Sanctis, sed etiam novi accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro litteris se illis daturum gratiam repromisit. = Praeterea est advertere Christum Dominum, antequam in Coelum se reciperet, Apostolis edixisse; *Eritis mihi testes in Hierusalem*, *& in omni Judaea*, *& Samaria*, *& usque ad ultimum terrae*. Apostoli vero, ut huic Christi verbo morem gererent, eundem a Christo praescriptum ordinem sibi in praedicatione tenendum putarunt; Etenim primum in eo loco, ubi praedicaverat Christus, & sanguinem suum fuderat fundandam ejus

Eo-

Ecclesiam curarunt, quatenus super Christum constructa, atque ab ejus dictis, & factis originem videretur sumpsisse: Nam eis facilius erat eo in loco fundamenta nascentis Ecclesiae ponere, ubi Dominum multi viderant, & utiliter etiam audierant: cum praecipue Dominus venisse se asseruerit propter oves, quae perierunt domus Israel. Ubi etiam semel fundata constitutaque Ecclesia, debebat Isaiae oraculum impleri. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Nam Gentiles videntes Christum homicidis, & Crucifixoribus suis pepercisse magnam poterant spem concipere de bona Dei voluntate ad suam ipsorum salutem expectandam, & ipsi ad accipiendum Evangelium magna confidentia erigebantur. Quamobrem Apostoli omnes primo in Hierusalem praedicarunt, ut habes cap. 2. & 4. Actuum Apost. & quando constituerunt ad viduarum ministerium Diaconos, dixit in persona eorum Petrus: *Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Postea vero miserunt quosdam ex Discipulis, qui per totam Judaeam verbum Dei disseminarent, ac ipsi interim in Hierusalem morabantur tamquam in capite, & fundamento, tunc temporis, Christi Ecclesiae. Haec ex Alphonso Salmeron. Theologo praestantissimo T. I. Proleg. XXXIII. edit. Brixiae pag. 405. ad verbum fere exscripsimus. Matthaeum itaque Hierosolimis scriptum Evangelium promulgasse ex Spiritus Sancti impulsu, atque insuper discipulorum rogatu, ac fortasse etiam aliorum Apostolorum jussu, valido innixi traditionis fulcimento nobiscum merito reputamus.

XII. Quae numero decimo producta sunt Patrum monumenta, ut evinceretur a Divo Marco Romae Evangelium in lucem editum, eadem suadent Sanctum Evangelistam Romanorum obsecrationibus permotum, id praestitisse. At enim omisimus eo loci palmare ad rem nostram Clementis Alexandrini autographum testimonium apud Eusebium, heic non est praetermittendum. En itaque ejus verba lib. *6.* Histor. Eccles „ Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, & Spiritu Sancto aflatus Evangelium promulgasset, multi, qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jam dudum sectatus fuisset, & dicta ejus memoria teneret, ut quae ab Apostolo prædicata erant, conscriberet: Τȣ̃ Πέτρου δημοσίᾳ ἐν Ῥώμῃ κηρύξαντος τὸν λόγον, καὶ πνεύματι τὸ Εὐαγγέλιον ἐξειπόντος, τοὺς παρόντας πολλὺς ὄντας παρακαλέσαι τὸν μάρκον, ὡς ἀνακολȣθήσαντα αὐτῷ πόῤῥωτεν, καὶ μεμνημένον τῶν λεχτέντων, ἀναγράψαι τὰ εἰρημένα. Isthæc, aliaque satis aperta elidere sibi visus est Guilelmus Caveus inquiens: „ Certe Irenæus lib. 3. cap. I. & apud Eusebium lib. 5. cap. 8. Sanctum Marcum μετα την τȣτων εξοδον, post Petri, & Pauli interi-

ritum, Evangelium suum conscripsisse diserte tradit. Quod vero, Evangelium a Petro approbatum dicat Eusebius, id forsan de scribendi consilio, rebusque Evangelicis a B. Petro, dum adhuc in vivis erat, communicatis, intelligendum est. „ Interim, quod ad hanc spectat in Eusebium animadversionem, haud multis opus est, ut refellatur: ipsis quippe pugnat apertissime verbis Eusebii diserte testantis Evangelium Marci, cum jam editum esset, Petrum approbasse; qua de re & Hieronymum testem supra dedimus locupletissimum. At non nihil ingerit difficultatis relatus Irenæi locus. Non desunt, qui (intemperanter, ut putamus) Irenaeum erroris insimulent, quippe quod, ajunt, in Epocha mortis Christi, ac vitæ ejus inter homines spatio, lib. 2. adv. Hær. cap. 22. alias 39. longe a veritatis semita aberraverit. Ægre fert animus id solutionum genus, tunc maxime, cum eterodoxi sunt perstringendi. Malumus reponere mendum in allatis Irenæi verbis irrepsisse, & ubi legitur ἔξοδον, substituendum esse ἔκδοσιν, ita ut S. Pater neutiquam, scripserit, *μετὰ δὲ τύτων ἔξοδον*, sed *μετὰ δὲ τύτυ τὴν ἔκδοσιν*. Certe ea ratione Irenæus cum aliis omnibus antiquis convenit Patribus Evangelium primum a Matthæo, inde vero a D. Marco scriptum fuisse testantibus. Neque vero antiquos Codices lectionis istius esse assertores dubitari potest, cum juxta illam, Irenæi locum in sua Eusebii versione verterit Cicestrensis Episcopus Ioannes Christophorsonus non minus doctus, ac diligens (1) Quamvis enim Valesius, & Grabe ex conjectura id fecisse scribant, injuria id dictum putamus, cum veterem codicem ita sane legentem viderit etiam Hugo Grotius, & Petrus Possinus insignis scriptor in Catena Patrum in Marcum, quam ex veteri Catena M. S. Vaticana evulgavit, Irenaei verba eodem prorsus modo ediderit, (2) ac legisse videtur Christophorsonus, ut notavit etiam Renatus Massuet in egregia ejus Irenaei editione: *μετὰ τὴν τῦ κατὰ Μαθαῖον Εὐαγγελίυ ἔκδοσιν, Μάρκος ὁ μαθητὴς, καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρυ, και αὐτος τὰ ὑπὸ Πέτρυ κερυττόμενα ἐγγραφῶς παραδέδωχε*. Etsi demum communior Irenaei lectio caeteris esset praeponenda, non ideo causa statim caderet. Vocabulum quippe ἔξοδος latine *excessus*, aut

(1) Habendam esse rationem illius lectionis, quam praetulit aliis Christophorsonus, censet etiam Richardus Simonius Hist. Crit. n. t. cap: 51. dummodo in aliquo exemplari M. SS. invenir.tur. Jam vero exemplar ejusmodi inventum est a Claris. Petro Possino, prostatque in catena ejus Græcorum Patrum in Marcum pag. 4. ibi enim exscribitur.

ΒΙΚΤΩΡΟΣ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΙΑΣ Εἰς, τὴν τῦ κατὰ Μαρκον Ἑρμή-νειαν.
Πρόλογος

(2) Πολλῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον . . . ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ Μετὰ τὴν τῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίυ ἔκδοσιν, Μαρκος ὁ μαθητὴς, καὶ Ἑρμηνευτὴς Πέτρυ, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρυ κηρυττομενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε.

aut *exitus* modo egressum e loco , modo e vita apud latinissimos scriptores significat.

XIII. Quomodo Matthæus, & Marcus ex Spiritus Saucti quidem impulsu, sed insuper extrinsecis commoti causis Evangelium litteris mandarunt; ita & Lucas, atque Joannes. Lucam id consilii opere complevisse, arguit Grotius ex eo, quod Hebraicum Matthæi Evangelium per illud temporis nondum foret Græco redditum idiomati: Evangelium vero Marci Græce compositum Evangelicæ Historiae solummodo esset compendium: scribit enim annotationibus in Præfat. Luc. „ Credibile est ad id tempus Matthaei librum, nonnisi sermone Hebraeo extitisse; Marcus autem Graece compendium magis historiae, quam historiam scripsit. Non causam vero pro causa Grotium propinasse, jure putant Critici peritiores. Noverat S. Lucas multos historiam Evangelicam non recte texuisse, pluraque pseudo-evangelia ab haereticis circumlata apud Graecos fideles obtinuisse, non sine magno Ecclesiae detrimento. Eapropter, ac fortasse etiam ab iis rogatus, quos una cum Paulo Christo Domino lucrifecerat; & praesertim ab optimo Theophilo, Evangelium exaravit. Utrumque ex ejusdem initio satis colligitur; ita enim se habet. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Iam vero ad causam, qua tactus Joannes Evangelium & ipse voluit litteris consignare progredientes, non melius, quam ex Hieronymo, qui hacce de re uberius, ac alii fecerint Patres disseruit, eandem nobis datur attingere. En itaque Sancti Doctoris mens Procm. Comm. in Matth: „ Joannes, cum esset in Asia, & jam tunc haereticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, & caeterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos et ipse in Epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter percutit, coactus est ab omnibus pene tunc Asiae Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altius scribere..... unde & ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur, ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in comune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione saturatus illud proemium a Coelo veniens eructavit *in principio erat Verbum &c.* „

XIV. De tempore, quo Evangelica conscribi cœpit Historia plurimi veterum Scriptorum proprias opiniones litteris comendavere, anno quoque supputato, quo Evangelistarum singuli Christi Domini effata, & gesta scriptis enarrarunt. Theophilactus in primum caput Matthaei, quem sequitur Euthimius Ligabonus octavo post Christi in Cœlum ascensum anno, Matthæum refert scripsisse, Marcus,

eo-

eodem perhibente post decimum a Christi ascensu annum, Lucas post quintum decimum, ac Joannes trigesimo sexto expleto operam Evangelio scribendo navarunt. Nicephorus Callistus omnium fortasse primus vulgavit Matthaeum quintodecimo post Christi ascensum anno, longo deinde intercepto tempore Marcum, & Lucam Evangelia sua, ac Joannem post annos triginta sex a laudato stupendissimo Christi prodigio conscripsisse. Eusebius Caesariensis lib. 3. cap. 8. ex libro Irenaei Martyris tertio, eo tempore Matthaeum Evangelium exornasse recenset, quo Petrus, & Paulus in Urbe Roma evangelizabant, & heic Ecclesiae fundamenta jaciebant. Eodem testante Eusebio, loco qui supra, Matthaeum secutus est Marcus, qui Romanorum obsecrationibus indulgens Evangelium litteris tradidit, Petro Apostolorum Principe comprobante, quod ex Papia alibi tradidit Eusebius. Altum apud hunc de anno, quo Lucas scripserit, ubi de hujus Evangelio habet mentionem, libro nimirum 3. cap. tertio: neque de tempore praeciso, quo idipsum Joannes praestiterit, verba facit. Vero etiam similiter hujuscemodi chronologicas controversias M. SS. Codicum fide haudquaquam dirimi tuto posse, existimant viri apprime docti; quippe quod loco temporis adjecti, haec aut aequipollentia in antiquioribus Codicibus ad calcem observentur. Εὐαγγέλιον . . . ἐτελέσθη. Ἄρχεται Εὐαγγέλιον . . . Nihilo tamen minus ea nobis videtur probabilior saltem extrinsece de Chronologica Evangeliorum conscriptione sententia, quae innixa M. SS. Codic. Bibliot. Colbert. (1) & Reg. Parisiens. (2) Matthaeum anno ab ascensu Christi octavo, Marcum decimo, Lucam quinto decimo, Joannem trigesimo, Evangelium publici in scriptis juris factum, decernit.

XV. Si auctori Synopseos Scriptorum Ecclesiasticorum, qui Athanasius censetur, fides adhibeatur, Graeca Evangelii secundum Matthaeum ex primigenio Hebraico, (3) seu potius Syro, aut Chaldaeo

C te-

(1) Τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐξεδόθη ὑπὸ αὐτοῦ Ἱεροσολύμοις μετὰ χρόνους ἡ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως MS. Colb. n. 5149. Τὸ κατὰ Μάρκον . . μετὰ χρόνους δέκα. idem MS. Τὸ κατὰ Λουκᾶν . . . . μετὰ χρόνους ιε. idem MS.

(2) Τὸ κατὰ Ματθαῖον ἅγιον εὐαγγέλιον Ἑβραΐδι διαλέκτῳ ἐξεδόθη ἐν Ἱερουσαλὴμ ἑρμηνευθὲν δὲ ὑπὸ Ἰωάννου μετὰ χρόνους ὀκτὼ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως MS. Reg. num. 2871. Τὸ κατὰ Μάρκον . . . μετὰ χρόνους δέκα. Τὸ κατὰ Λουκᾶν . . . μετὰ χρόνους ιε. τὸ κατὰ Ἰωάννην . . . μετὰ χρόνους λ. idem M. S.

(3) Quandiu in vera Christi Ecclesia autographum Matthæi Evangelium, aut etiam integrum apographum perduraverit, inter obscura est rejiciendum. Hæreticos Nazarenos, de quibus S. Epiphanius Hær. 29. num. 7. loquitur, præ manibus illud habuisse, et quidem integrum ex eodem Sancto Doctore cautum est. Ambigit nihilominus S. D. de abrasa prava eorum opera Jesu Christi Genealogia. Ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον Ἑβραϊστί . . . οὐκ οἶδα δὲ εἰ τὰς γενεαλογίας τὰς ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ἄχρι Χριστοῦ περιεῖλον. Hieronymi quoque tempore illud obtinuisse pluries ipse scribit. Siquidem lib. 3. adversus Pelagium habet „ in Evangelio juxta Hebræos quod Chaldaico qui-

textu translatio, abs Jacobo Fratre Domini fuit adornata. Haec enim in Synopsi est deprehendere: *τὸ μὲν κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐγράφη ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Ματθαίου τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, καὶ ἐξεδόθη ἐν Ἱερουσαλὲμ. ἡρμηνεύθη δὴ ὑπὸ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου.* Praeterquam vero, quod Sancti Ecclesiae Patres hacce de re non conveniunt; alii enim Jacobo, alii Joanni, Barnabae alii, imo etiam Paulo, & Lucae adscribunt, ignoti auctoris opera in lucem prodiisse, affirmat Hieronymus in lib. de Scrip. Ecclesiast. per haec verba „ Matthaeus, qui & Levi, ex publicano Apostolus primus in Judaea propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis litteris, verbisque composuit. Quod quis postea in Graecum transtulerit non satis certum est. „ Quamquam vero Graecae hujus versionis auctor non bene constet, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus, aut ab uno illorum, aut illorum auspiciis, vel potius Spiritus Sancti, cujus ipsi erant organa, fuisse confectam, non immerito sustinetur. Illud certissimum est ejus authenticitatem apud Ecclesias ab Apostolis erectas ratam fuisse habitam, constantique traditione fidelium posteritati demandatam. Neque vel minimum obstat, quod apub Euseb. lib. 3. Hist. Eccles. Hebraicum Matthaei Evangelium, pro ut unicuique dabatur interpretatum fuisse, Papias asserat hisce verbis: *Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο. ἡρμήνευσε δὲ αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος.* De privatis enim fidelium Hermeneuticis sollicitudinibus percommode verba hujuscemodi accipi queunt, ac explanari.

XVI. Mentem nunc subit divinam Evangelii authoritatem extrinsecis argumentis innixam quadantenus exponere. Idvero ipsum perquam jucundum haud aliter nobis aggrediendum esse censemus, quam commemorando gravissimos sanctissimosque viros, sinminus plerosque, saltem aliquos, qui illam de gentium, & haereticorum malis artibus, atque sycophantiis terque quaterqne feliciter vindicarunt. Ex Graecis quidem Athenagoras duabus orationibus pro fide doctissime certavit; Justinus Martyr oratione ad gentes exhortatoria, & pluribus Apologiis ad imperatores Antoninos pro Christianis oblatis, egregiam, atque strenuam impendit operam. Clemens Alexan-

dri-

quidem sermone, sed Hebraicis litteris, scriptum est. quo utuntur usque hodie Nazareni „ Item de scrip. Eccles. in Matthæum sic loquitur „ Ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsareensi bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit. „ Denique lib. 2. in Matth. cap. 12. inquit „ In Evangelio, quo utuntur Nazareni, & Ebionitæ, quod nuper in Græcum sermonem transtulimus, quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum &c. Evangelio eodem usos fuisse Ebionitas tradit Epiphanius Hær. 30. num. 13. sed corrupto, & obtruncato. *οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ νενοθευμένῳ, καὶ ἠκρωτηριασμένῳ.*

drinus tribus de Paedagogo, & octo Stromatum libris, mira & recondita secularium scientiarum traditione, atque sacrarum litterarum cognitione ad miraculum usque refertis, Christianam Religionem ab adversariorum telis, atque insolentibus mendaciis oppugnatam feliciter propugnavit. Athanasius duobus doctissimis, atque eloquentissimis voluminibus, altero contra idola, altero de humanitate Verbi fidem Christi felicissime defendit. Eusebius autem Caesariensis libris qnindecim de praeparatione Evangelica doctissime elaboratis, gentiles confutavit, viginti vero de demonstratione Evangelica libris Judaeorum caecitatem redarguit. Theodoritus duodecim libros edidit contra Graecanicas affectiones plane breves, atque eruditione multa respersos. Ex Latinis vero Tertullianus Apologeticum librum adversus gentes eruditissimum brevissimumque summo & acerrimo ingenio scriptum edidit. Arnobius libros septem pro Religionis nostrae defensione adversus gentes eloquentissime scripsit, quos tanquam fidei suae obsides Episcopis Africanis, ut Baptismi gratiam ab eis promereretur, dicavit. Totidem voluminibus Firmianus ejus fidem, & doctrinam tanquam discipulus magistrum aemulatus, quae Divinarum institutionum voluit appellari, pro vera Religione certavit. Post illos omnes S. P. Augustinus fulgidissimum Ecclesiae lumen, & columen viginti duobus libris de Civitate Dei mira doctrina, & eloquentia scriptis de Religionis Christianae tutela est optime meritus. Summis heic quoque inter caeteros extollendus foret laudibus Hieronymus, qui, ut prope divina ejus prodit Bibliotheca maximum Ecclesiae praebuit adiumentum. Adsit postremo Ecclesiae Doctor Thomas Aquinas, qui pari cum Fidei Colunnis pietatis studio, ac doctrinae praestantia catholica dogmata adversus Philosophorum quorundam gentilium procaces cavillationes, saracenorumque putidas calunnias acutissime propugnavit. Agejam alii pagani insectatores Evangelii compellentur. Sic de eorum nonnullis mentionem habet Epiphanius. „ Aliqui ex Graecis Philosophis, Porphyrius, inquam, & Celsus, & Philosabbatius ex Judaeis oriundus, horrendus, ac fraudulenter serpens, subversionem Evangelicae tractationis molientes, sanctos Evangelistas accusant, animales, ac carnales existentes, & secundum carnem militantes, & ad complacentiam Dei impotentes, & quae spiritus sunt, non intelligentes. „ His adjiciendus Hierocles Pythagoricus, qui impostorem illum insignem Apollonium Tyaneum non modo cum Christo ausus est componere, verum etiam impudentissime aequiparare. Praeterire non possumus Julianum, & Maximinum Imperatores, quorum primus apostata perditissimus multa in Chistum Dominum evomuit, alter vero ad causam odii in Christifideles praetexendam,

 ficti-

fictitia quaedam acta Pilato adscripta omni blasphemiarum genere referta adversus Jesum Christum vulgavit. Haec porro Eusebio narrante in lib. 9 Histor. Ecclesiast. per omnes regni ejus Provincias publico edicto mitti praecepit, & per urbes singulas, per vicos, per agros etiam proponi, praeceptoribus insuper puerorum tradi jussit, ut pro his, quae ad meditandum, vel ad discendum solent dictare, haec traderent pueris memoriae commendanda, atque in gynnasiis, & triviis recitanda. Portae vero inferi non potuerunt praevalere, neque ullo unquam tempore praevalebunt. Iam itaque merito nobis colligere videmur tot virorum clariſsimorum sanctitate, atque doctrina luculentissima testimonia, tantas impietatis adversus Evangelium, ejusque profeſsores ad nihilum redactas molitiones, divinae ejus authoritati fidem adjungere. Sed *argumento ad hominem*, ut ajunt, petito ex agendi ratione, qua veteres haeretici bellum Evangelio indixerunt, divina eius aucthoritas magis magisque, sicut modo tentabimus, potest obfirmari.

XVII. Sanctorum Ecclesiae Patrum scripta mature, ac saedulo expendenti facile constat inter praecipuas, execrabilesque haereticorum fraudes, illam enituisse, qua, se veri Evangelii possessores, atque custodes, ut simplicibus fucum facerent, jactitarent fallacissime. Basilidis primum, & Valentini iniquum hocce fuisse consilium ex Clemente Alexandrino lib 7 Stromatum erudimur. Mea est, inquiebat ille *Διδασκαλία τῶν αποστόλον*: Audivi enim Glauciam interpretem Petri: *Γλαυκίαν τȣ Πέτρου ερμενέα*. Evangelium ipse teneo praedicabat Valentinus; sum eteum instructus a Theodato, qui fuit *Γνώριμος Πάυλȣ*. Alio quandoque tramite processerunt omnium elatissimi Gnostici: Venditabant hi, teste Irenaeo lib. 3. advers. haeres. cap. 2. se indubitate, & incontaminate, & sincere absconditum scire mysterium, & ita quidem, ut traditio, quam apud se vigere blaterabant, Apostolicis traditionibus esset anteponenda, & *veritatis* Evangelium esse tantummodo, quod apud illos asservabatur. En Irenaei loco relato, traditionem quod spectat, testimonium, „ Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbiterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes, se non solum Presbiteris, sed etiam Apostolis existentes superiores sinceram invenisse veritatem; Apostolos autem admiscuisse ea, quae sunt legalia Salvatoris verbis. „ De Gnosticorum item Evangelio sic ejusdem libri cap. 11. scribit. „ Existentes extra omnem timorem suas conscriptiones praeferentes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciae, uti quod ab his (Apostolis) non olim

con-

conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. „ Evangelium quoque alterum, *τελειώσεως perfectionis* dictum, tradente Epiphanio haer. 26. num. 2. in Apostolorum spretum vulgaruut, sed parum sibi constantes, ut idem S. P. eo loci num. 13. affirmat pseudo-Evangelio alio utebantur, Philippo discipulo Domini adscripto. *Προσφέρουσι δὲ εἰς ὄνομα Φιλίππου τοῦ ἁγίου μαθητοῦ εὐαγγέλιον πεπλασμένον*. Similiter Encratitæ, quorum signifer Tatianus D. Justini Martyris auditor acta Sanctorum Apostolorum Joannis, Thomae aliosque apocriphos libros, ceu autenticos (1) proponebaut. Manichaei tandem & ipsi Evangelium sub nomine Thomae invexerunt, de quo mentionem agens Cyrillus Hierosolymitanus (2) cavendum esse inquit ab illius lectione, propterea quod non alicujus Apostoli, bene vero unius ex tribus scelestis Manetis discipulis sit foetus, Non absimilia habet S. P. Augustinus contra Faustum lib. 22. „ Legunt Scripturas apocryphas Manichaei a nescio quibus fabularum sutoribus sub Apostolorum nomine scriptas, quae suorum scriptorum temporibus in auctoritatem Sanctae Ecclesiae recipi mererentur, si sancti, & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. „ Ejusdem generis sunt. quae scribit S. Doctor lib. 32. contra Faustum cap. 2. (3). Jam vero, ne nimium libelli moles excrescat; quibus de causis tanta apud haereticos pro pseudo-Evangeliis subintroducendis sollicitudo? (4) Hisce potissimum, ni fallimur vehementer. quod nimirum prava eorum dogmata cum sancta Evangelii

(1) Κέχρηνται γραφαῖς πρωτοτύποις ταῖς λεγομέναις Ἀνδρέου, καὶ Ἰωάννου πράξεσι, καὶ Θωμᾶ, καὶ ἀποκρύφοις τισί.

(2) Μηδεὶς ἀναγινωσκέτω τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον· οὐ γάρ ἐστιν ἑνὸς τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, ἀλλ' ἑνὸς τῶν κακῶν τριῶν τοῦ Μανῆ μαθητῶν. S. Cirillus Cath. 6.

Perditi isti Manetis discipuli eodem tradente Cyrillo fuere Thomas, Baddas, & Hermas.

(3) Non a Christi Apostolis, sed longo post tempore a quibusdam incerti nominis viris, qui ne sibi non haberetur fides scribentibus, quæ nescirent, partim Apostolorum nomina, partim eorum, qui Apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus indiderunt asseverantes secundum eos se scripsisse, quæ scripserint.

(4) Sciscitanti, quomodo libri apochryphi ab authenticis secernerentur, respondet S. Epiphanius hæresi 42. fieri in Ecelesia consuevisse, sicut in more positum est, cum Regiæ adulterantur litteræ, videlicet recursum habitum fuisse ad exemplaria fidelia diligenter asservata. Ὅταν ῥᾳδιουργηθῶσι τινὲς βασιλικὰ πράγματα ἀπὸ τῶν ἀρχείων τὰ ἀντίγραφα προφερόμενα ἠσφαλισμένως ἔχοντα ἐλέγχει τὰς ἀφροσύνας· οὕτως καὶ ἀπὸ τοῦ Βασιλικοῦ οἴκου, τουτέστι ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις &c. Heic dissimulandum non est nonnullos Patres, ac præsertim Clementem Alexandrinum, & Origenem quandoque ex libris apochryphis quædam retulisse. Ex. c. Clemens Alex. lib. 3. Stromat. mentionem habet Evangelii κατ' Αἰγυπτίους: atque ex eo aliqua promit, quæ in Evangeliis authenticis desiderantur. Consulto vero id præstitisse tenendum est. atque ut hæirticos ex ipsis apochryphis eorum libris revincerent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

lii Jesu Christi doctrina collidi facile observarent, quodque se in haeresum propagatione diffiderent profecturos, nisi Codici, cujus divina praesupponeretur authoritas, adhaerescere simularent.

XVIII. Morosi non desunt Critici, qui exquirant, quanam ratione fiat, ut scriptis Evangelistarum, qui Dominum in terris agentem non viderunt, Marci nempe, & Lucae æqua per omnia, ac par fides habeatur, atque illorum, qui testes eventuum fuere, Matthaei scilicet, atque Joannis. Nodum hunc dissolvit sapientissime S. P. Augustinus lib. 1. de Cons. Evangel. cap. 1. scribens: „ Inter omnes divinas auctoritates, quae sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit .... Cujus primi Praedicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum, & Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam praesentem in carne viderunt.... At ne putaretur, quod attinet ad percipiendum, & praedicandum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annuntient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ii, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, divina providentia procuratum est per Spiritum Sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi Evangelium tribueretur authoritas. Hi sunt Marcus, & Lucas. „ Sanctus quoque Hieronymus in eo quod quaeritur, an Marcus, & Lucas Dominum viderint ab Augustino nullatenus videtur discrepare in Prooemio Commentariorum ejus in Matthaeum. Verum tamen est aliter nonnullis visum esse Ecclesiae Patribus. Marcum & Lucam inter septuaginta Domini discipulos commemorat Origenes, & Hippolytus Martyr in Catalogo 70. Dom. Discip. Ephiphanius in Haeresim LI., Theophilactus, Eutymius in praefat. super Lucam, Dorotheus Episcopus Tiri, aliique. Nihilo tamen minus S. P. Augustino, atque Hieronymo malumus subscribere, quin vereamur authoritati Evangelii Marci, & Lucae quidquam detrahere; Plura enim praesto sunt rationum momenta; ex quibus eandem Marco, & Lucae, quam Matthaeo, ac Joanni fidem esse habendam, evincamus. An Moses, dum scribit mundi creationem, aut universale diluvium, ac turris Babilonicae constructionem caeteraque omnia, quae in sacra continentur Genesi, quicquam vidit eorum, aut ullo modo videre potuit, qui nondum natus erat? Quod si Tito Livio ab Urbe condita res gestas scribenti, & bella Punica cum Cartaginensibus habita enarranti, quibus ille nec interfuit, nec interesse potuit, plenam indubiamque fidem praestamus: Quidni ergo Marco, & Lucae per Spiritum Sanctum dirigentem scribentibus habeamus? Sed & intrinsecas rationes nolumus prorsus missas facere. Duplici hoc inter alios

alios titulo Marcus, & Lucas tutissimam ab initio Ecclesiae fidem fecerunt. Primum quidem per moralem rerum evidentiam, quae tanquam notae, ac manifestae Christifidelibus, negari, nisi impudentissime, non poterant. Deinde, quod Evangelium Marci Princeps Apostolorum Petrus, & Lucae Evangelium Paulus Gentium Apostolus adprobaverit, quos quidem, nempe Petrum, & Paulum in gratia confirmatos, atque adeo in approbatione Evangelii errare non posse Ecclesia cognoscebat. (1)

XIX. Vetus est non secus, ac iniqua eterodoxorum querimonia in Novi Testamenti Codices a Catholicis receptos, & asservatos menda, & depravationes eorum arte, ac industria fuisse intrusas. Ad rem Sanctus Pater Augustinus Faustum Manichaeum adversus Catholicos loquentem inducit lib. 33. cap. 5. „ Multa a majoribus vestris, eloquiis Domini nostri inserta verba sunt, quae nomine signata ipsius, cum ejus fide non congruant: praesertim quia ut jam saepe probatum a nobis est, nec ab ipso haec sunt, nec ab ejus Apostolis scripta; sed multa post eorum assumptionem a nescio quibus, & ipsis inter se non concordantibus, semijudaeis per famas, opinionesque comperta sunt: Qui tamen omnia eadem in Apostolorum Domini conferentes nomina, vel eorum, qui secuti sunt Apostolos, viderentur errores, ac mendacia sua secundum eos se scripsisse mentiti sunt. „ Hieronymus item Helvidium refellens autor est tom. 2. prope initium, hunc asseruisse omnia Graeca exemplaria, Novi Testamenti per illa tempora fuisse corrupta. Crambem eandem recoxerunt Novatores, Laurentius Valla, Erasmus, Jacobus Faber Stapulensis, aliique permulti, quorum nonnulli, licet fateantur libros quosdam Novi Testamenti fuisse ab Apostolis conscriptos, tamen ab haereticis postea vitiatos fuisse contendunt. Certe Catholicae Religionis osores, & transfugas, qui ad haereticorum castra migrarunt vel maxime studio, ac libidine sacras adulterandi litteras fuisse ductos, ex veterum Patrum scriptis notius est, quam ut probatione indigeat. Illorum vero depravationes in Codices, quibus Catholica utebatur Ecclesia irrepsisse, atque ab eadem fuisse receptas blaterant iniquissime. Et sane eodem modo Novi Testamen-

(1) Colligitur inde quanti intersit Ecclesiæ judicio subjici; id si fiat omnia teneatur, quæ credenda sunt: secus nihil ad salutem creditur; immo peccatum in Spiritum Sanctum admittitur, quo persistente desperanda est remissio in hoc, & in futuro sæculo. Hinc gravissimam S. P. Augustinus in epistola, quam vocat, fundamenti, protulit sententiam „ Ego Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret authoritas. „ & Cyprianus de simplicit. Prælat. Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. „

Digitized by Google

menti lectio quovis Saeculo in Ecclesia obtinuit. Eodem modo legunt Irenaeus, Tertulianus, Origenes, Cyprianus, atque alii Patres, qui per temporum sibi invicem succedentium seriem in Ecclesia sunt secuti. Simul autem omnes istos fuisse deceptos, atque una cum his universam Ecclesiae Catholicae successionem per tot annos fuisse delusam, ut pro incontaminatis corrupta, falsataque legerit, quis unquam nisi ex toto impius dixerit? Hoc equidem maxime Ecclesiam a Christo obtinuisse dicendum est, ut ejus Scripturae forent incorruptae. Nam semel iisdem divinitus exaratis nequaquam commode potuisset consistere. Corruptas vero, ac vitiatas in rebus ad fidem, moresque spectantibus habere, perinde est, ne dicamus pejus, ac non habere. Quare S. P. Augustinus lib. contra Faustum *33.* cap. *6.* „ Quis tandem tanto furore caecatur, nisi daemoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajiecerint, cum eorum Cathedras, usque ad praesentes Episcopos certissima successione servarint, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia tanta felicitate proveniat. „ Iterum confugere ad Magistrum optimum Augustinum est in deliciis. Acute, diserte, mirum in modum Faustum premens lib. *32.* cap. *16.* inquit: „ Quod ergo eum (scilicet Spiritum Sanctum, quo de est ibi controversia) Christus miserit hoc probate: unde asseritis personam vestri authoris, vel potius deceptoris? Respondetis, ex Evangelio nos probare. Ex quo Evangelio? Quod non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis ergo testem suum prius ipse dicat falsitate esse corruptum, & tunc producat ad testimonium? Si enim quod vultis ei credimus, & quod non vultis ei, non credimus, jam non illi, sed Vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, testem a vobis non exigeremus. Ita ergo aut cogimini veraces illos Codices confiteri, & continuo evertent hæresim vestram, aut si fallaces eos dixeritis, eorum authoritate Paracletum non poteritis asserere, & vos evertitis hæresim vestram. „ Ita S. P. Augustinus Evangelicos libros integros esse, atque incorruptos demonstrat solidissime: (1)

XX. Ad Latinam Uulgatam Novi Testamenti editionem nunc est ac-

(1) Privatos quandoque Catholicos, eosque Græcos abrasisse a sacris Codicibus, quod ipsis duriusculum videbatur ex. c. Luctum Christi Domini super urbem Hierusalem testis est S. Epiphanius Ὀρθόδοξοι δὲ ἀφείλοντο τὸ ῥητόν, φοβηθέντες καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος, καὶ τὸ τέλος καὶ τὸ ἰσχυρότατον. Ecclesia vero ejusmodi mutilationes semper improbavit.

Digitized by Google

accedendum, quam de industria parvipendere, ac maledictis impetere seu potius discerpere consueverunt Novatores, ut Graecorum Codicum fidem superestollerent, atque horum obtentu facilius tergiversationes intexerent, erroresque tuerentur. Quidquid effutierint, in Romano-Catholica, & Apostolicà Ecclesia obtinentem editionem, illam esse veterem arbitramur, quam S. Hieronimus restituit idque ex ipsismet S Doctoris adhuc extantibus emendationibus satis nobis est exploratum. Deinde fidendum magis quandoque esse, ut Hieronymus testatur, Latinis quam Graecis codicibus incorrectis etiam atque etiam arridet: Sancta quippe Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia (cujus modo Supremus in Urbe, & Orbe Hyerarcha omnibus longe major encomiis *PIUS Pontifex VI.* verbi depositum semper custodivit, fidemque integram inviolatamque servavit, ab eaque Graeca Ecclesia pluries magna ex parte defecit, Quid vero de mendis, soloecismis, transpositis, obscure aut ambigue expressis, omissis, superadditis, queis generatim Vulgatam refertam esse ad ravim usque Pseudoreformatorum antesignani (1) garriebant? Nec omnia quae soloecismi videntur, ejusmodi sunt, si tropi, & schemata velint adverti, nec ejus sphalmata, quae tamen levis sunt momenti, vitio interpretis sunt adscribenda. Levis inquam, momenti; Certum est enim neque in veteri. neque in nova editione aliquid unquam inventum, quod fuerit vel a Christianae fidei veritate devium, vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, vel praeter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum; vel in praejudicium veritatis omissum vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi attulerit, vel haeresibus, ac pravis dogmatibus materiam, fomentumque praestiterit, vel ita obscure, & ambigue versum ut arcana Religionis nostrae occultaverit, aut minus idonee, & quantum satis ad salutem non explicaverit. Quas tamen mendas, ac depravationes Hieronymus in veteris, ac vulgatae editionis emendatio-

(1) Innumera sunt mendacia, & calunniæ (inquit Eminentissimus Gotti in opere cui titulus, Veritas Religionis Christianæ T. 2. pag. 149. quibus onerare coeperunt Pseudo-reformatores Vulgatam Versionem, ipsam traducentes, ac si infinitis scateret erroribus. Calvinus multa loca ex psalmis profert, quæ ut corrupta in Vulgata damnat . . . ex Lutheranis idem præstitit Kemnitius . . . attamen procedente tempore, re diligentius excussa mitius de Vulgata loqui coeperunt, imo plerique summis laudibus eam extulere. Theodorus Beza Praef. in novum Testam. Erasmum castigat, quod vulgatum interpretem liberius rejecerit. Paulus Fagius, Ludovicus de Dieu, Grotius Vulgatam plurimi faciunt. Casaubonus in Notis suis ad Evangel. & Actus Apostolorum, qui sæpe Vulgatam Græci textus hodierni lectioni anteponit, ac Græcum textum hodiernum ab Antiquo variasse dicit, quod a se observatum testatur Waltonus Prolegom. 10. Esto autem istorum testimonio ad sui auctoritatem Vulgata non egeat, non parum tamen eam confirmat, cum etiam hostium suorum calculo comprobetur.

tione se consulto reliquisse testatus est: non quod tot eruditi, ac sancti Ecclesiae Patres ea errata, vel non agnoverint, vel approbaverint; sed quia ad ea dissimulanda justis de causis fuerunt impulsi. Primum quod animadverterent nihil in fide, ac moribus periculi in his tam levibus erratis imminere. Deinde ne fideles nimium exactae correctionis novitate offenderentur, quorum aures vel ab infantia illa vetus editio occupaverat. Postremo, ut vetustam illam editionem venerarentur, quae nascentis Ecclesiae fidem educaret, & crescentis roboraverat, ut Sanctam, & venerandam illam simplicitatem antiqui interpretis, (qui creditur fuisse Lucianus Martyr, teste Nebrissensi in quinquanis) qui non sermonis ornatum, verum historiae veritatem quaesivit, sua ipsorum approbatione honestarent & vestigia suorum majorum sequerentur, qui eosdem errores sacra veluti quadam pietate ducti tolerarunt, Sanctorum exemplo Apostolorum, qui etsi versionem LXX. interpretum in multis redundare & in multis deficere non ignorarent, eam tamen minime contempserunt, sed ubique eam praedicarunt, ex eaque prima fidei nostrae fundamenta jecerunt. Temerarium ergo est atque adeo plane haereticum propter leves quosdam defectus, quos in nostra hac Vulgata editione citra ullum fidei, aut morum detrimentum satis leviter notarent, eam spernere & abjicere, vel novas, & profanas in locum ejus haereticorum translationes introducere, maxime post Tridentini Aecumenici Concilii decretum, quod sic se habet: „ Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit innotescat, statuit, & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. „ (1)

XXI. Hisce ceu prolegomenis delibatis, ad ingrediendas criticas ex Evan.

(1) Contra hoc decretum (inquit pag. 141. nuper laudatus S. R. E. C. amplissimus) clamant Protestantes. Calvinus præ cæteris in Antidoto Sess. 4. Tridentini, vocat illud edictum barbarum: „ in translationibus, præter unam Vulgatam damnandis, ut crassior est inscitia, ita magis barbarum edictum. „ Putat, hoc decreto cæteras alias Translationes damnatas, & vetitum esse fontes ipsos Hebraicos, atque Græcos consulere. Sed impudentissimus Hæresiarca in meridiana luce coecutit. Decretum enim præfatum (quod Calvinus, nisi obcoecatus esset, vidisset) Versionem Vulgatam præfert quidem aliis, sed alias non damnat, hanc quidem Authenticam declarat, sed cæteras nulla censura inurit. Rursus loquitur de Vulgata comparate ad alias Versiones, non ad fontes Hebraicos, vel Græcos, de his enim nec verbum facit. Unde ergo colligit censor ineptissimus vetitum esse hoc Decreto fontes Hebraicos, & Græcos adire?

Evangelio controversias adeundamque inter Evangelistas concordiam recta sternitur via. Lucae itaque capite primo a vers. 5. usque ad 25. in diebus Herodis Regis Judeae Zachariae Sacerdoti jam pene senectute confecto praedicitur per Archangelum Gabrielem stantem ἐκ δεξιῶν τȣ͂ θυσιαστηρίȣ τȣ͂ θυμιάματος, filium, qui Joannes sit nuncupandus, ipsi ex sterili uxore Elisabeth nasciturum, ipsumque ad horam usque eventus ob incredulitatem mutum permansurum. Inquirere heic primum solent interpretes, an Zacharias iste summi fungeretur Sacerdotis dignitate? Pernegant recentiores eo fidentes potissimum, quod altare thimiamatis, quo de Exodi cap. 30. non in *Sancto Sanctorum* cujus aditus soli patebat summo Sacerdoti, sed præcise in *Sancto* fuerit constitutum. At enim huic refragantur sententiae Origenes Homil. 8. in Exod. Joannes Chrysost. Homil. in Natalem Christi, S. P. Augustinus quaest. in Exodum postrema, & alii, eidem acquiescere voce intima prohibemur. En Sancti parentis verba luculentissima: „ Ante aream vero, idest *inter Arcam*, *&* *Velum*, positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum.... Ad haec Sancta Sanctorum, nisi summo Sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum, semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, & si quando forte exigebat necessitas, pro peccato Sacerdotis, aut universae Synagogae. „ Zachariam itaque summum Pontificem non fuisse facile annuendum remur; verumtamen summo in ordine vicis suae, vel familiae ejus insignitum Sacerdotio, utroque ut ajunt pollice subscribimus. Ita sentientibus in Patrum hacce de re discrepantium conciliatione nulla occurrit difficultas: eorum enim qui renuunt Zachariam S. Joannis Baptistae parentem, fuisse summum Sacerdotem, sic accipiunt testimonia, ut summum Pontificem fuisse tantummodo inficias eant. Qui vero summo functum Sacerdotio affirmant, ita ab illis intelliguntur; ut de Sacerdotio Summo in ordine vicis suae sermonem instituant. Sed progrediamur. Audiens Zacharias praeter omnem spem de nascituro sibi filio nuntium, dixit ad Angelum V. 18. *Unde hoc sciam, ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.* Peccaverit nec ne eo ipso Zacharias merito quaeritur. Verum omnes propemodum de aliqua ejus culpa conveniunt, & ex ipsis Angeli verbis V. 20. satis evincitur: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem quo haec fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Hinc S. P. Augustinus lib. 50 Homiliarum Homil. 44. inquit: Accepit Zacharias supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis; quia non credidit, tacuit. Si enim recte dictum est, *credidi propter quod locutus sum*, quia Zacharias non credebat merito

Digitized by Google

rito non loquebatur. „ Illud itidem hoc loci solent interpretes decernere, an Joannes Baptista in utero matris fuerit sanctificatus? Rem plane ita se habuisse non sinit Angeli eloquium in dubium revocare: ait enim versiculo quintodecimo: *Καὶ Πνεύματος ἁγίȣ πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτȣ̃*. Adstipulantur Patres. Sanctus Athanasius sermone 4. contra Arianos, S. Cyprianus cap. 73. de Joanne, S. Ambrosius in cap. 1. Lucae S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathech. 3. de Joanne, ac demum S. P. Augustinus lib. 15. de Trinitate sic Christi Domini sanctitatem quasi a minore ad majus exponens. „ Si enim de famulo ejus & praecursore ipso Joanne scriptum est: *Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suae*, quoniam quamvis seminatus a patre tamen Spiritum Sanctum in utero formatus accepit, quid de homine Christo intelligendum est, vel credendum, cujus Carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? „ Non ergo Joannes, ut nonnulli malunt, in utero matris per praedestinationem, benevero per Spiritus Sancti subministrationem fuit Sanctificatus.

XXII. Pergit capite primo Sanctus Evangelista intra versiculos 26., & 56. isthaec complectens. Gabriel Angelus Mariae Josepho desponsatae annuntiant conceptum (1) Jesu Filii Dei de Spiritu Sancto: Maria cum festinatione convenit Elisabeth, quae a Spiritu Sancto omnem rem edocta, Mariam Dei Matrem appellat. Maria vero postquam apud Elisabeth mansisset mensibus quasi tribus, reversa est in domum suam (2) Sententiarum varietate Critici distrahuntur illa expo-

(1) Turbationis Mariæ ob Angeli sermonem, qua de S. Lucas V. 29. causam apud Ecclesiæ Patres variam reperimus. S. Amb. lib. 11. de Virgini. turbatam putat, eo quod videret virum. Sanctus Bernardus Homil. 3. super *missus* turbationem repetit ex eo, quod timuerit Angelum illum esse potuisse Satanæ in lucis Angelum transfiguratum. Alii alias assignant rationes. In nunnullis codicibus, ubi interpres noster posuit: *Quae cum audisset* Ἡ δὲ ἀκȣ́σασα: legitur Ἡ δὲ ἰδȣ̃σα: *Quae cum vidisset*. Locum ut putamus, diversimode conjiciendi præstitit ejusmodi in Græcis Codicibus variatio. Quidquid sit, turbationis causam ex insolita Angeli salutatione, altissimaque Deiparæ humilitate malumus derivare, pro ut ex contextu edocemur. Sed alterum quoque lubet advertere. Affirmante Claris. Maldonato, (quem Eminentissimus, Sapientissimusque Gerdilius inter melioris notae Evangelii interpretes recenset in lib. Saggio d' Istruzione &c. Edit. R. pag. 23.) nonnulli duxerunt Christum fuisse conceptum antequam Angelus veniret ad Mariam Virginem vel saltem cum dixit *Dominus tecum*. Illos movit, quod in textu Græco legatur V. 35. διὸ καὶ γεννώμενον ἐκ σȣ̃, quæ de præterito tempore intellexere. Verum ad tempus futurum, seu potius proximum Mariæ consensum referri, satis indicant immediate antecedentia: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

(2) Ex quo S. Lucas V. 56. narret Mariam cum Elisabeth mansisse *quasi mensibus tribus*, dubium suboritur, num ante nativitatem Præcursoris ab ea discesserit. Quo minus vero hujuscemodi discessum tuentibus adhæreamus plura obstant. Aliunde Lucas

exponentes, de Angelo, qui missus est ad Virginem desponsatam, viro: Ἀπεστάλη . . . πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρί. Veterum nonnulli, ut Gratianus habet quæst. 27. caus. 2. cap. *Quod autem*, & cap. *Institutum* existimarunt Deiparam Virginem nunquam fuisse matrimonio devinctam, ac solummodo Josepho desponsatam, quam quidem sententiam adversus plura Scripturarum loca reagentem, a Sanctae Matris Ecclesiae, multis ab hinc annis, festum Desponsationis B. M. Virginis celebrantis, constat esse alienam. Potiori jure contendere alii maluerunt, Mariam ad illud usque tempus, quo Angelus Josepho dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* Math. cap. I. v. 20. fuisse tantum desponsatam; exinde vero Angelo suasore in conjugem ab Josepho acceptam. Ita Hilar. in cap. I. Matth. Basilius Homilia de humana Christi generatione, Ephiphanius haeresi 78., ac inter recentiores Criticos Bernardus Lamy in Concordia Evangelica. Nobis tamen ea magis arridet statuens Deiparam Virginem, Josephi conjugem ante fuisse, quam Gabriel Angelus stupendissimum assumptionis humanitatis in Deum, medio ejus utero, annuntiaret mysterium. Haec porro sententia neotericis Theologis acceptior, ne dum in sacris litteris firmum habet fundamentum; verum etiam Sanctorum Ecclesiae Patrum fulcitur authoritate, melioribusque ex decentia ac congruitate ductis argumentis. Si enim Deipara Virgo ante visitationem Elisabeth fuisset innupta, quomodo honori ejus ob notam, saltem vicinis, intumescentiam fuisset consultum? Hinc S. Ambrosius lib. 2. in Lucam scribit: „ Maluit Dominus aliquos de suo ortu, qùam de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. „ Et sane, quid non suspicati fuissent parentes, dum filiam a visitatione Elisabeth reversam in utero habentem vidissent? Aut quomodo fuissent ausi eam nuptui tradere, cum juxta legem Deuter. 22. V. 21. si sponsa non inveniebatur virgo ejicienda esset e domo patris, lapidibusque a civibus obruenda) Demum nec ipsa Maria se in Matrimonium Josepho adjunxisset in hypotesi intumescentiae, sed potius segregata domi mansisset.

XXIII.. Prima jam se sistit controversia, quae Evangelistas inter, Matthaeum, & Lucam conciliationis exigit modum. Enumerans Matthaeus, Evangelii initio, Sponsi Mariae Virginis Progenitores inquit: *David autem genuit Salomonem . . . . Mathan autem genuit Jacob, Ja-*

cas referens Ioannis nativitatem post discessum, quod quidem præcipuum est adversariis momentum, per anacephaleosis figuram, quæ in scripturis est non infrequens, commodam habet explanationem.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariae. Lucas vero Capite 3. Progenitores omnino alios Josepho sic adscribit: *Putabatur filius Joseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi . . . qui fuit Nathan, qui fuit David*. Mirum! quot ad hanc extricandam difficultatem, excogitatae fuerint jucundae concordiae rationes. Longum nimis esset earundem copiam, non inquam, complecti, sed meminisse; parum quippe abest ne tot sint, quot interpretum capita. Planior, ac verior apud nos audit, quam tradidit Julius Africanus altero Ecclesiae seculo ad finem vergente in epistola data ad Aristidem. Juvat ab Eusebio Caesareensi lib. I. Histor. Eccles. cap. 6. eam partim mutuari. „ Apud gentem Israel, inquit, generationum nomina, nunc secundum naturae, nunc etiam secundum Legis ordinem numerantur. Legis autem cum quis filius alio generante substituitur, sub nomine fratris defuncti sine liberis . . . . A singulis Evangelistarum utriusque modi commemorata successio est . . . . Et ita fit ut neutrum Evangelium mentiatur . . . „ Ad hujusce vero sententiae amplexum nos illud flectit vel maxime, quod S. P. Augustinus post inventam nodi, quo de agitur vere plausu dignam solutionem, (1) quam

(1) Prolixe, nisi temporis angustiæ prohiberent, essent huic castigandi nonnulli ingeniorum aquilæ Augustino infensi, quos inter Richardus Simonius in ejus historia Critica: Des principaux Commentateurs &c. cap. XVIII. Hujus quædam saltem sunt excutienda. Scribit itaque editio Roterod. pag. 161. Augustinum in conciliatione Evangelistarum de Christi Genealogia, non satis profunde se gessisse, magnas deserere insolutas difficultates, rationesque mysticas extra rem persequi. Augustinus, insuper inquit pag. 162. videtur eliminare sacrorum librorum inspirationem, quam dicunt immediatam, saltem, quoad verba. Hæc ex illo. Sin vero Sancti Doctoris mentem, consilium, & scopum in exarandis libris de Consensu Evangelistarum esset assecutus, si perpendere voluisset, quales Religionis osores Sanctus Pater Catholicæ fidei satageret lucrifacere, si demum, ut sagacis critici est, undequaque Augustini scripta introspexisset, calamum fortasse magis temperasset. In libris, quibus de agitur duo potissimum sibi præstituit Sanctus Pater, nimirum & Catholicos in fide solidare, & aculeata Celsi Porphirii, Juliani tela sic retundere, ut solum demonstraret Evangelistas neque sibi, neque inter se repugnare, quod quidem aperte fatetur lib. 11. cap. 21. Quid ergo mirum si ex professo de occurrentibus non agat quæstionibus, adeoque nec omnes exsolvat difficultates? Dum adversus eterodoxos probat inter Evangelistas de Genealogia Christi non esse dissonantiam, eorum ora inde obstruit, quod Mathæus Josephi Progenitores juxta ordinem naturæ, Lucas vero juxta adoptionis ordinem describat; rationes vero mysticas ad Catholicos magis magisque in fide roborandos non prætermittit. Cæterum electus ab Augustino conciliationis modus habet in sacris litteris fundamentum, validisque innititur rationum fulcimentis, ut videre est apud Joan. Laurent. Berti lib. De Theolog. Discip. XXVI. cap. III. Ubi vero Simonio visus est Augustinus sacrorum Codicum immediatam inspirationem elevare, vel mentis caligine, vel cordis pravitate fuit præpeditus. Eo loci S. P. Ad Ecclesiæ hostes revincendos, ratione simul, & exemplo utitur, quod & ipsi cogantur admittere, videlicet: „ Nos non debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem, quam audierunt, vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo, atque iisdem verbis,

quam lib. 2. contra Faustum capite tertio tradiderat, vix Julii Africani Epistolam sub oculos habuit, expressam in illa conciliationem suam fecerit, quamquam alium a se jam traditum non reprobarit. En verba ipsius lib. 2. Retract. cap. 7. „ Cum solverem quaestionem, quomodo potuerit duo patres habere Joseph, dixi quidem quod ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoque adoptionis dicere debui. Sic enim sonat, quod dixi, tanquam eum vivus adoptaverit alius pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, jubens ut fratris sine liberis mortui duceret frater uxorem, ut fratri defuncto semen ex eodem suscitaret, quae profecto de duobus unius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Uterini autem fratres fuerunt, in quibus hoc contigit; ut unius defuncti, qui vocabatur Heli, duceret alter uxorem, idest Jacob, a quo Mathaeus narrat genitum esse Joseph: sed uterino fratri suo eum genuit, cujus filius Lucas dicit fuisse Joseph, non utique genitum, sed ex lege adoptivum. Hoc in eorum litteris inventum est, qui recenti memoria post Ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen ejusdem mulieris, quae peperit Jacob patrem Joseph de priore marito Mathan, qui fuit pater Jacob avus Joseph secundum Mathaeum, & de marito posteriore Melchi peperit Heli, cujus (secundum legem, ut ante dixit) erat adoptivus, Joseph non tacuit Africanus. Quod quidem cum Fausto responderem, nondum legeram, sed tamen per adoptionem potuisse contingere ut unus homo duos haberet patres dubitare non poteram. „ Non modo Hieronymi ejusdem sententiae vindicis praestantissimi, verum etiam Angelici Praeceptoris S. P. Augustini vertigiis fideliter adhaerentis aſferenda nunc esset authoritas ex 3. p. quaest. 31, nisi testem pereximium Gregorium Nazianzenum ex Tom. 2. Carm. de Christi Genealogia in sequentibus mens fuisset accersere.

„ *At quonam pacto duplici patre fluxit Joseph?*
Lex ea Moysis erat, si quem mors atra tulisset,
Hebraea de gente satum, natisque carentem,
Protinus ut frater, vel sanguinitate propinquus,

Uxo-

bis, eadem tamen res fuerit indicata, aut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur, sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis, quæ dicuntur, possit intelligi, minus dicatur. „ Ut vero nemo jure suspicari posset, se librorum sacrorum inspirationi vel minimum detrahere, subdit eodem lib. cap. XXI. „ Cur Spiritus Sanctus . . . in recolendo, quæ scriberent (Evangelistæ sine dubio gubernans, & regens alium sic, alium vero sic, narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quæsiverit divinitus adjutus poterit invenire. „ Vel igitur mente coecutiit, vel rudiusculis voluit fucum facere Simonius.

Uxorem extincti capiens, censumque, domumque.
Funderet huic sobolem, nec nulla prole relicta,
Obrueret totum tumulus cum corpore nomen.
Quare de Christo arcanum mihi tale repertum est.
Mathanus eximia Salomoni stirpe creatus,
Esthæ junctus erat: quo cæca morte perempto,
Duxit eam Melchi, Nathanæo sanguine cretus.
Mathanus hac genuit Jacobum, Melchius Helim,
Quem rapuit nulla mors horrida prole relicta.
Ergo domum illius capit, uxoremque superstes
Jacobus, frater tantum maternus, eique
Josephum genuit. Sic Joseph filius ejus
Verus erat: tamen hunc tribuit lex optima fratri,
Atque ita Mathæus naturam scribere Christi
Instituens, veram seriem numeravit avorum
At Lucas populi legem, ritumque notavit.

Julii itaque Africani sententia perhibens Matthæum texere naturalem Josephi genealogiam, Lucam vero Legalem ad Davidem usque recentiorum conatibus, qui ignota antiquitati systemata adinvenerunt, videtur anteferenda.

XXIV. Christum Dominum ex Regali David sanguine genus traxisse suum Scripturarum utriusque foederis oracula fidem faciunt divinam. Psalmorum, Regum, & Prophetarum libri huic illustrandae catholicae veritati innumera propemodum offerrent monumenta. Verum nonnisi Evangelistas Mathaeum, & Lucam vacat consulere. Mathaeus itaque sic Evangelium ejus exorditur. *Liber generationis Jesu Christi filii David* &c. Porro si Christus non fuisset ortus ex familia David, & quidem per Salomonem, Matthaeus ab initio sui Evangelii omnem fidem sibi abrogasset. Evangelium quippe scripsit in gratiam Judæorum, qui optime genealogias callebant: Nam teste Josepho lib. I. Cont. Appionem servabant integras genealogias, tam privatim quam publice in tabulariis sacris, publicisque Archiviis, atque id maxima cura, eorum præsertim, qui erant ex tribu Levi, & Juda. Et quidem ex tribu Levi, ne quis ab illa alienus invasisset Sacerdotium: Ex tribu autem Juda ob Messiam ex ea nasciturum. At vero quoniam generalis promissio de orituro Messia ex tribu Juda, restricta postea fuit ad familiam Davidis; ideo Judæi nil custodiebant religiosius, quam tabulas genealogicas illorum qui a Davide genus trahebant suum, ut testatur Julius Africanus Epist. ad Aristidem. Si ergo Mathæus falsam texuisset genealogiam, statim reclamassent Judæi, quo de altum in omni antiquitate silentium.

Qui

Quid vero Lucas? *Ascendit*, inquit cap. V. 4. *a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore* οὔσῃ ἐγκύῳ. Rectissime hinc colligitur Mariam (1) similiter ac Josephum ad familiam David pertinuisse, ac propterea in Bethlehem Cæsaris edicto sese conformasse. Ad hæc. Cui bono Josephus castissimam, sanctissimamque conjugem, impletis fere diebus, ut pareret, tanto itinere vigintiquinque nempe horarum spatio defatigasset, nisi & ipsa Cæsaris inspecta voluntate inscribi, & profiteri debuisset? Quare Sanctus Hieronymus in cap. I. Matth. jure optimo scribit: „ Ex una tribu fuisse Joseph, & Mariam, & ideo simul censentur in Bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati „.

XXV. Exigit jam præconceptum a nobis consilium, ut Matthæi caput primum a pervicacium Judæorum causationibus vindicemus, postmodum cum Criticis Catholicis, ac demum contra desipientes hæreticos de eodem quadantenus acturi. Sanctus Evangelista Isaiæ vaticinium cap. 7. V. 14. sequentibus verbis expressum refert V. 23. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Εμμανουὴλ, idque in Christo Domino complementum habuisse divinitus testatur. Heic vero insurgentes Judæi regerunt Isajæ verba, neque in Graeco Matthaei Codice, ueque in Vulgata fuisse fideliter reddita, neque sensum ab Isaja cap. 7. v. 14.

E in-

(1) Parentes Deiparæ Joackimum fuisse, & Annam, ut Vulgata tenet sententia lubentissime profitemur a S. R. A. Ecclesia edocti in Martyrolog. XIII. kalend. Aprilis, atque etiam a Græca in Menolog. die 19. Septembris. Adstipulatur traditio: S. Epiphanius enim hær. XXVI. asserit hanc plane de Mariæ Genitoribus subsistere, scribens: παράδοσις ἐστιν: Perobscura vero nobis Parentum Deiparæ series genealogica. Joakimi pater, & atavi proximiores apud Joannem, Damascenum lib. IV. Fidei orthodox. cap. 15. sic adnotantur. Jannes, quo de Lucas cap. III. V. 24 duos genuit filios, Melchi nimirum, & Pantherem. Iste genuit Barpantherem, Barpanter Joakim, Joakim Mariam. Melchi vero genuit Levi; Iste Mathat, ex quo Heli pater lege Josephi. atque ita Joseph & Maria ex eadem agnatione, ac progenie Davidica ortum habuere. Refert etiam Origenes lib. I. adversus Celsum Christum Dominum ab hoc fuisse appellatum *filium Pantheris*, blasphemando purum fuisse hominem, & sic pariter in Talmud cap. 12. Judæos eundem nuncupare. Sed dubitare licet num Joannes Damascenus ex propria sententia Joakim proavos recensuerit, vel potius ex fabulosis Rabbinorum historiis Judæos vellet revincere. Neque vel minima Celsi habenda est ratio, qui vel Manichæorum, Gnosticorumve apocryphis scriptis, vel Judæorum commentis imbutus, vel etiam propria extimulatus improbitate Christum Dominum *Pantheris filium* appellavit. Quod spectat Beatæ Annæ Matris Deiparæ progenitores vix certi quidpiam statui potest. „ De Beata Anna inquit Joannes Laurentius Berti lib. XXXVI. De Teolog. Disciplinis in fine Append. cap. III. hoc tantum novi, a pluribus dici filiam Gaziri ex tribu Juda, & ex Judææ oppido Bethlehem; & ejus patrem fuisse Mathat Sacerdotem scribit Nicephorus lib. 11. cap. 3. qui & laudat antiquum scriptorem Hippolytum Portuensem. „

intentum praeseferre. Quod attinet, ajunt, ad verborum haud germanam translationem liquet ex voce *Halma*, quae redditur Παρθένος *Virgo*, cum reapse significet adolescentulam qualemcumque. Neque legitur in Hebraeo textu Καλέσουσι *vocabunt*, bene vero Καλέσεις *vocabitis*. Isthaec vero nedum explosit, verum ad nihilum deduxit maximus Hieronymus Comment. in Isajam lib. 3. cap. 7. „ *Halma* non solum puella vel virgo, sed cum adjuncto virgo abscondita dicitur, & secreta, quae numquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. „ Lingua quoque Punica, quae de Hebraeorum fontibus emanare dicitur proprie virgo *Halma* appellatur. Veteres interpretes Καλέσεις legisse non diffitetur Sanctus Doctor, attamen jure optimo animadvertit saepe apud Scriptores sacros occurrere, quod, in multis testimoniis, quae Evangelistae vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. „ Nil demum solidi proferre valent Judaei, quo suadeant Isajae verba nullatenus ad Messiam esse referenda, immo, laudato Hieronymo docente, judaizaret quisquis eadem vellet de filio Isajae, tanquam Domini typo solum interpretari. „ Quidam, scribit citato loco, de nostris judaizans Isajam Prophetam duos filios habuisse contendit, Fesub, & Emmanuel: Et Emmanuel de Prophetissa uxore ejus esse generatum in typum Domini Salvatoris. „ Jam vero cum nostris agentes, cur Joseph voluerit sanctissimam conjugem dimittere, alii aliter sentiunt, & exponunt. Sunt qui cum Origene, Basilio, & Bernardo Homil. super *Missus* existiment Josephum id animo versasse consilii, ut nimirum se matrimonio, & consortio Matris Dei indignum judicaret. Haec tamen sententia cum capitis primi contextu, ac potissimum cum illis Angeli verbis: *Noli timere* &c. Haud satis cohaerere nobis videtur. Mentem potius Josephi subiisse censemus animi quamdam citissime dilapsam fluctuationem, timorem inter, ac fiduciam, quatenus intumescentiae factum mirandae intactae conjugis castimoniae adversari videbatur. Joannes Chrysostomus Homil. 4. in Matthaeum, S. P. Augustinus sermone 16. de Verbis Domini hanc tradiderunt sententiam. Accedit Hieronymus scribens: „ Hoc Mariae testimonium est, quod Joseph sciens illius castitatem & admirans quod evenerat celat silentio, cujus misterium nesciebat. Impius ille demum Helvidius ex Matthaei verbis cap. I. V. 18. & 25. constantem Deiparae Virginitatem ausus impetere, ex eodem praesertim Hieronymo nunc esset refellendus; Sed unius Ambrosii malumus praecellens testimonium exhibere. Sic Sanctus Antistes in lib. de Institut. Virg. cap. 6. „ An vero Christus eam sibi Matrem elige-

geret, quae aulam posset incestare caelestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cujus exemplo saedulo ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi, quod per se caeteris propositum foret munere deviaret? Et quae esset, cui majus, quam Matri Dominus meritum reponeret, praemium servaret? Nulli enim uberiora, quam virginitati deputavit munera. Fieri non poterat, ut quae Deum portaverat, hominem portandum arbitraretur. Nec Joseph vir justus in hanc prorupisset amentiam, ut Matri Domini misceretur. „

XXVI. Nativitatem Christi Domini in Bethlehem civitate David, ejusque ad pastores per Angelum nuncium Cap. 2. Lucas narrat, atque ad tempora Herodis Regis altero quoque Capite eandem refert Matthaeus, adventum Magorum ab Oriente ad Hierosolymam insuper adjiciens. Salebrosae hinc, aleaque plenae exsurgunt controversiae, ac illae potissimum, quas Critici, & Chronographi peculiari quodam nomine sibi vindicant. Eruditorum neminem praeterit, quot, quantaque in medium fuerint exarata, ut verus Natalis Christi annus adsignaretur. Valida expendenti se se produnt conamina eorum, qui asserunt Christum Salvatorem nostrum natum a correctione Julii Caesaris Augusti, seu Juliano 40. Caesaris Augusti 39. ac tertio Olimp. 193. Urbis Rom. conditae 748. ante Aeram Vulgarem, sive Christianam quinquennio solido, Consulibus Laelio Balbo, & Antistio vetere. Pugnant pro hac sententia Bollandus, Harduinus, Schelestratius Dissertat. 1. Antiquitat Ecclesiast. aliique putantes Christum baptismatis unda ablutum anno aetatis suae trigesimo primo incohato. Referunt multi Christi Natalem ad annum proximum scilicet anni Juliani 41. Caesaris Augusti 40. U. C. 749. Coss. Augusto XII., & Cornelio Sulla, ac quarto Olymp. 193. Stat pro hac sententia Eminentissimus Norisius in Cenotaph. Pisan: Dissertat. 2. Natalis Alexander, Graveson, aliique plurimi. Arripiunt qui tertio veniunt loco pro Christi Natali annum Julianum 42. etc. Quarta sententia eligit an. Jul. 43. &c. Quinta mavult ann. Jul. 44. &c. Sexta annum Julianum 45. ac demum septima 46. Quid in hac sententiarum discrepantia nobis sit verosimilius non ante exponimus, quam de Rege Herode aliqua delibemus. Cujas iste fuerit graviores Chronologi, ac Theologi non conveniunt. Ab Judaeis genus duxisse suum contendunt ex recentioribus non pauci. Placet aliis fuisse Ascalonitam genere, ejusque Patrem Antipatrum postea ab irruentibus idumaeis in idumaeam adductum; Ascalone in templo Apollinis functum officio Æditui narrat Eusebius lib. 1. cap. 6. ex Epistola Julii Africani ad Aristidem. Indigenam esse dicendum

E 2 cum

cum clariss. Joanne Laurentio Berti lib. de Theolog. . Discip. 29. sentimus, parum solliciti, Ascalonita ne fuerit, an Idumaeus; Nominis enim, hanc esse, verborumque discrepantiam merito affirmavit, ut citato loco inquit Berti, lib. X. de doctr. temp. cap. 5. doctissimus Petavius. Nostra longe magis interest Regni Herodis Epocham persequi, quod e vestigio aggredimur.

XXVII. Accuratissimi Chronographi Petavius lib. X. de doctr. Temp. Norisius Dissertat. 2. de Conotaph. Pisa., & 5. de Epocha Syromaced. itemque in Paraen. ad Joannem Harduinum, Usserius, Calvisius, Pagius, aliique bene multi, sicuti duplicem figendam esse Epocham Herodianam plenis calculis probant, ita de prima nullatenus discrepant. Statuitur haec, & quidem merito anno 5. Imperii Augusti, seu Juliano 6. U. C. 714. Olymp. 184. an. 4. Cos. Domitio Calvino, & Asinio Pollione, quando per Antonium, & Augustum, miserantes mutatam Herodis fortunam, a Senatu Romano datum fuit illi Judaeae Regnum. Sic Josephus refert lib. 14. Antiquit. cap. 26. de Herode inquiens: „ Ille regium fastigium adeptus est Olimp. 184. Cajo Domitio Calvino iterum, & Cajo Asinio Pollione Consulibus „ Perspicuum est autem Cousulatnm Calviui, & Asinii concurrere cum anno Augusti Imperatoris quinto, & U. C. 714. nullo Chronologorum discrepante. Secunda Regni Herodis Epocha figenda videtur anno, quo captis a Sosio, & Herode Jerosolimis, atque interfecto Antigono, ipse Herodes rerum summa potitus est: Et quamvis non omnino certum sit, quo anno hoc contigerit, verosimilius tamen est contigisse an. U. C. 717. Coss. Agrippa, & Gallo: Siquidem Josephus lib. 14. Antiquit. cap. 28. ait accidisse Jerosolymorum cladem „ M. Agrippa, & Caninio Gallo Coss. Olymp. 185. mense tertio, Jejunii solemnitate, tamquam recurrente in idem temporis momentum illata a Pompejo judaeis calamitate: nam & eodem die ab illo ante septem, & viginti annos Hierosolyma capta fuerat. „ Consulatum Agrippae & Galli incidere in an. U. C. 717. commonstrant Fasti. Captam a Pompejo Hierosolymam Coss. M. Cicerone, & Antonio, idest anno Romae 691. narrat Dio lib. 36. Hinc igitur computatis annis 27. pervenitur ad Consulatum M. Agrippae, & Canini Galli, atque duplici nota, Fastorum scilicet, & captae a Pompejo Hierosolymae, constat hanc a Sosio, & Herode fuisse occupatam anno 717. Urbis Romae. Quonam praecise anno, & mense e vita migraverit Herodes, nunc esset enucleandum. Quoniam vero perarduum est de die mensis aliquid definire, illud tan. tum cum eruditissimis viris Petavio Henschenio, Papebrochio, Tillemontio, aliisque propugnamus, Herodem nempe objisse ante festi-

vi-

Digitized by Google

vitatem Azymorum anni ab U. C. 751. a palilibus, sive antequam exiret an. U. C. 750., Augusti 41. correct. Julianae 42. Re sane vera regnavit Herodes annos ab interfecto Antigono 34. et ex quo salutatus fuerat Rex a Romanis 37. Scribit enim Josephus lib. 17. Antiquit - cap. 10. nunc octavo num. 1. „ Quinto post occisum Antipatrum die vitam finivit, cum regnasset post interfectum Antigonum annos 34. postquam autem Rex a Romanis creatus fuerat 37. „ Similia habet lib. 1. de Bello cap. ultimo num 8. At sive supputentur anni 37. ab anno U. C. 714, sive anni 34. ab an. U. 717. pervenitur ad annum Romae 751. qno Herodes magnus supremum clausit diem. Idem evincitur ex Archelai Herodis Successoris vicissitudinibus, atque exilio Viennae in Galliis mandante Augusto. De cujus exilii anno licet inter doctos disceptetur, tamen inquit Fastorum Pater Panvinius lib. 2. Fast. cap. 302. compertum modo est Archelaum pulsum in exilium anno Romae 766. Coss. Cretico, & Nerva septem annis ante Augusti obitum. Relegato enim Archelao Quirinus ejus facultates redegit in censum anno post Actiacam pugnam 37. ex Josepho lib. XIV. cap. 3. Pugna vero Actiaca contigit an. U. C. 723. & an. 37. a pugna Actiaca incoeptus fuit a trigesima die mensis Augusti anno U. C. 760. a quo retro enumeratis annis integris novem, devenitur ad an. U. 751. quo Herodes magnus obierat.

XXVIII. Hactenus expressa ad gravissimam de anno nativitatis Christi controversiam evolvendam lucem afferunt: Exinde enim in primis licet colligere illam videri repudio dignam sententiam, quae Christum anno Juliano 43., aut sequentibns natum statuit; immo nec comode posse sustineri ejus anno Juliano 42. natalem. Et sane: Christus natus est *in diebus Herodis Regis* Matthei Cap. 2. V. I. atque nt ex numero sequenti constabit VIII. Kalend. Januarias. Porro interiisse Herodem ante festum Pascatis anni Juliani 42. seu U. C. 751. nuperrime indigitavimus, isto igitur anno, multoque minus sequenti die XXV. decembris haudquaquam natus est Christus. Potiori ratione subscribendum est illis, qui Christum natum volunt an. U. C. 749. Olymp. 193. an. 4. Coss. Augusto XII. & Sulla, anno Juliano 41. Caesaris Augusti 40. integro ante Æram vulgarem quadriennio. Congruit revera ejusmodi sententia cum sacris, profanisque historiis, quod quidem nulli caeterarum videtur quadrare (illa dempta nil fortasse minus probabili, quae Christum natum tenet anno U. C. 748.) Re sane vera non potest Natalis Christi retrahi ad an. U. C. 747. Christus enim natus est *toto orbe in pace composito*, sicut communis, ac vetustissima docuit Patrum traditio.

Ast

Ast anno U. C. 747. bellum apud Germanos exarsit, & Tiberius Nero Cos. 11. de iis triumphum egit, quo quidem vix ferme peracto, ortis iterum in Germania motibus, illuc rursus praeliaturus accessit, Norisio in Dissertat. 2. Cenotaph. Pisan. id ipsum ad evidentiam comprobante. Non ergo ad an. U. C. 747. retrahi potest Natalis Christi Domini annus. Vel itaque an. U. C. 748. vel 749. toto orbe in pace composito, clauso Romae ab Augusto Jani templo; subactis Herodis imperio Judaeis, praestito etiam obedientiae, fidelitatisque juramento, Christi Domini nativitatem non immerito consignavimus.

XXIX. Quotquot sibi videntur sapere, ac Sanctae, Catholicae, & Apostolicae Romanae Ecclesiae traditioni valedicunt, eos non modo a recto verae Sapientiae tramite longissime abesse, verum etiam errores erroribus glutinare fit consequens. Hisce profecto accensendi sunt Novatores, qui de die natali Christi partim falsas, partim risu, vel potius miseratione dignissimas apud eorum gregales invexerunt opiniones. Anne deridendus non est Matthaeus Beroaldus, qui quosdam Ægyptios auctores secutus lib. 4. ejus Chronici cap. 2. & 3. contendit Christum natum mense septembri in ipso aequinoctio autunnali? Huic nihilominus crasso errori adhaeserunt etiam Scaliger, Hospinianus, & Henricus Volfius, gravi proinde censura notati in Martyrolog.. Hispano T. 11. pag. 386. & a Grutero lib. 1. de festis cap. 29. pag. edit. Ingolstadii 216. Haud ita hallucinantur Geraldus Vossius, Samuel Basnagius, Joannes Clericus, aliique plurimi. Sed Ecclesiam Romanam temere redarguunt asserentes, falsam esse hujus de die nativitatis Christi traditionem, nihilque certum hacce de re esse statuendum. Casaubonus vero exercitat. 2. in Baronium standum putat Epiphanii sententiae, qui haer. 51. num. 24. & 29. Christum natum scribit VIII. idus Januarias, praesertim quod in Ecclesia Orientali ex antiqua traditione, referente etiam Cassiano collat. X. cap. 2. olim Theophania, ac Ephiphania eodem die celebrarentur. Errat tamen Casaubonus; eccontra enim stat firmissima Romanae Ecclesiae traditio. Hoc porro habent aut certum, aut saltem tamquam probabile cordati omnes Critici recentiores, Thomassinus, Tillemontius, Serrius, Bailletus, aliique; Negant vero nonnulli idipsum sequi ex Dominica Incarnatione peracta, ut creditur, die XXV. Martii. Nobis vero, Religio est, sicut unicuique esse debet, a Romanae Ecclesiae traditione, ne latum quidem unguem discedere.

XXX. Christo Salvatore nato stella in Oriente apparuit Magis, qui Caelesti obsequentes indicio Jerosolimam pervenerunt, eorumque adventu Herodes, & una cum illo urbs fuit perturbata. Interim

rim, praeunte stella Bethlehem petunt, ubi, invento puero cum Maria Matre ejus, procumbentes eum adorant, (1) muneribus, quae attulerant, oblatis, auro videlicet, thure, ac myrrha; Deinde in somnis admoniti per aliam viam reversi sunt in regionem suam, Hactenus ex Matth. cap. 2. a V. I. usque ad 12. Historiam hanc ibi esse adscititiam siqui velint toto aedepol Coelo a veritate exorbitant. Illud potius inquirendum, quonam tempore, & ex qua regione Magi Jerosolymam advenerint, atque item fuerint nec ne praestigiatores, ac Reges? Primum quod attinet, S. Epiphanius in illam abiit sententiam, quae Magos biennio post Christi nativitatem Jerosolymam adventasse propugnat; Sic enim haer. 55. de Magis loquitur. „ Non invenerunt Mariam in spelunca, ut peperit, sed ut Evangelium habet: Deducebat ipsos stella usque ad locum, ubi erat puer, & ingressi in domum invenerunt puerum cum Maria, non amplius in praesepio, non amplius in spelunca, sed in domo; ut cognosceretur veritatis certitudo, & temporis duorum annorum spatium, ex quo natus est, donec accesserunt Magi. „ Verum hanc nos amplecti sententiam non sinunt S. Hieronymus epistola 18. S. P. Augustinus sermone I, de Epiphania, Gregorius Nissenus, Chrisostomus, Theodoretus Ancyranus, aliique. Magos Bethlehem venisse ante Deiparae purificationem, inde etiam tuto colligere nobis videmur, quod, illa completa, sanctissimi conjuges reversi fuerint in Galileam, ut patet ex Lucae cap. 2. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini reversi in Gallileam, in civitatem suam Nazareth.* Non minus de tempore, ac de regione ex qua Magi venerint, quaestio solet exagitari. Ex Chaldaea venisse censet S. Maximus Serm. de Epiphania, S. Ambrosius lib 2. in Lucam, S. Hieronymus in cap. 47. Isaiae; Ex Persia S. Joannes Chrysost. Homil. 7. in Matth. S. Basilius oratione de Generat., ac S. Isidorus. Communis denique sententia, quam veteres secuti sunt Patres, ut videre est apud eximium Suarez in 3. p. q. 36. in eo sita est, quod venerint ex Arabia felici. Ut huic subscribamus movent, praeter va-

(1) Adorationem a Magis puero Iesu præstitam non fuisse religiosam effutierunt Sociniani. Idem scripsit Grotius in Matth. cap. 11. & auctor versionis gallicæ Bibliorum an. 1702. Trivoltientibus typis eusæ. Doctissimus Bossuetus Meldensis Episcopus, & Eminentissimus Cardin. de Noailles statim versionem illam eo ipso censuris notarunt: At nacta est anonymum apologistam, fortasse Simonium. Illi vero ex Graeca phrasi queunt refelli: ἦλθον προσκυνῆσαι: quae in N. T. Deo dignam adorationem constanter significat. Ex Patribus cum Graecis, tum Latinis abunde quoque refutantur. Adinstar omnium sit Hieronymus scribens in cap. 11. Matthaei: „ Pulcherrime munerum sacramenta juvencus Presbiter uno versiculo comprehendit.

Thus, aurum, myrrham,
Regique, Hominique Deoque
Dona ferunt. „

vaticinia Prophetarum, antiquiorum quorundam Patrum authoritas. S. Justinus in dialogo cum Triphone ita scribit: „ Quam primum natus est, Magi ex Arabia profecti advenerunt eum. Idem habet Tertul. lib. 3. cont. Marcion. cap. 13. & Cyprianus Serm. de Stella, & Magis: „ Nec multo post Arabum fines hujus rei notitia penetravit, & incolis Saba praeclari stella luminis caeleste Numen novis splendoribus indicavit. „ Vix, ac ne vix quidem refutatione opus est adversus eos, qui Magos illos, seu sapientes tanquam praestigiatores traduxere. Gravis eccontra est controversia, an regia fungerentur dignitate? Non quod tanti intersit, ut ex affirmante, vel negante sententia sacrae authoritas historiae inde elevetur, aut minuatur, ut bene habet Claris. Canus lib. 11. de Locis Theol. cap. 5. Sed quoniam inter Novatores Casaubonus, & Theodorus Beza Romanae Ecclesiae audacissime impingunt, quod sola tyrannide tradat, ut fide certum insignitos fuisse Magos regia dignitate, nec pati aliud quomodolibet opinantes. Movit id stomachum (prosequitur Joannes Laurentius Berti lib. 29. de Theolog. Discip. cap. IV. num. 11.) etiam Montacutio, qui Casaubono respondet aliter de pia traditione loquendum, non prodiisse hanc e gurgustio, sed fulciri multorum Patrum authoritate. Piae igitur ejusmodi traditioni & nos opinando libentius adhaeremus, quod, nemo Patrum Magos fuisse Reges expresse fuerit inficiatus, plures vero diserte asseruerint. Laudandus heic summus Pontifex Innocentius III. Sermon. I. de Epiphania inquiens: „ Secundum historiam isti Magi Reges fuerunt. „ In vetustissimo etiam Hymno, qui Damaso adsribitur sic legimus.

Ecce pastores ovibus relictis
Convolant Bethlehem, videant ut ortum
Principem mundi, properant & acti
Sidere Reges.

Quidquid igitur blaterent heterodoxi firmioribus nititur isthaec sententia fundamentis, sinendumque est, ut Canus habet, plebem probabilissimam opinionem, praesertim quae penitus insedit, & inveteravit cum suis majoribus retinere.

XXXI. Metu correptus Herodes ob Magorum adventum, eorumque de inquirendo loco, ubi natus esset Messias, sollicitudinem, illico omnes Principes Sacerdotum, ac Scribas populi congregavit, sciscitans & ipse ubinam juxta Prophetarum vaticinia Christus esset nasciturus. Principes vero Sacerdotum, & Scribae (Matth. 2. V. 5.) *dixerunt ei: In Bethlehem Judae. Sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in Princi-*

pi

pibus Juda; *ex te enim exiet dux*, *qui regat populum meum Israel*. Propheta vero, scilicet Michaeas cap. 5. V. 2. ait: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda* : *ex te mihi egredictur qui sit dominator in Israel*, *& egressus ejus ab initio*, *a diebus æternitatis*. Triplicem heic Matthaeum inter, & Prophetam sibi videntur nonnulli deprehendere antilogiam. I. enim Mathaeus habet: *In Bethlehem terra Juda*; & Propheta Tu Bethlehem Ephata 11. Apud illum legitur: *Neque minima es*: Iste inquit, *parvulus es*. 111. Matthæus dicit *In principibus Juda*. Michæas in *millibus Juda*. Perperam tamen in hac lectionum varietate praetexuntur antilogiæ: Præterquam enim quod Mathæus non asserit Prophetam sic habere: *Et tu Bethlehem Juda* & c. bene vero Scribas hocce Herodi responsum dedisse, neque ipsa Scribarum assertio Michææ vaticinio adversatur. Istud quippe in se obscurum, & ab Herode non facile intelligendum clarioribus expresserunt verbis, eundem tamen sensum fideliter retinentes. Nam I. Propheta dixerat: *Ephrata*; quae vox distinguit Bethlehem civitatem Juda ab alia Bethlehem civitate Zabulon: Etenim Bethlehem Juda Genes: 35. v. 48. vocatur *Ephrata*. 2. dixerat Prophcta: *Parvulus es*; quod Scribae vel per interrogationem, vel per ironiam dictum esse intelligentes clarissimo sensu reddiderunt; *Nequaquam minima es*. 3, Propheta dixit: *in millibus*, idest in Chilliadibus, in quas singulae tribus divisae erant jam a temporibus Moysis. Scribae reddiderunt: *in Principibus*, substituendo Principes pro Chiliadibus, seu millibus, quibus praesunt, ut causam explicarent, cur Bethlehem non esset minima, quod nempe ortu Principum nobilitata jam foret, scilicet inter reliquos Isai, David: sed maxime ortu Massiae nobilis esset evasura. Unde hoc explicantes subdunt: *Ex te enim exiet Dux*, *qui regat populum meum Israel*; Dux nimirum ille a Deo Israelitis promissus, & tam diu expectatus. Sed ad Herodis trepidationem, protinus saevitiem factam, est regrediendum. Is clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis, & mittens illos in Bethlehem, dixit. *Ite & interrogate diligenter de puero*: *Et cum inveneritis renuntiate mihi*, *ut & ego veniens adorem eum*. Verum fraudolentum nequissimumque consilium paucis post diebus per Magos frustratum videns, natum Dominum furore percitus ad necem quaerens, pueros omnes recenter in Bethlehem, finibusque ejus natos jussit occidi. Quandonam ejusmodi contigerit infanticidium melioris quoque notae Critici non conveniunt. Sunt qui ad biennium post Christi nativitatem protrahant, eo praesertim ducti, quod Herodes post Magorum adventum Romam venerit. Nunc vero inter eruditos versatosque in historia constat ter-

F tium,

tium, & ultimum iter Herodis Romam, ante natale Christi contigisse, ut probat Norisius Dissertat. 2. de Cenotaph. Pisanis, Graveson Dissert. 2. de Mysteriis, & annis Christi, aliique plures. Illa itaque dimissa sententia infantium caedem paucis post Mariae purificationem diebus novimus contigisse.

XXXII. Mathaei Cap. 3. Marci 1. & Lucae 3. Joannes Baptista describitur perfungens illi a Prophetis annuntiato ministerio, poenitentiam scilicet, & Baptismum praedicandi. Temporis vero notas, quo ita haec se haberent nonnisi Lucas innuit v. 15. & sequentibus scribens: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Judaeam . . . . factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Refert itidem Lucas V. 21. Jesum fuisse baptizatum, idque factum addit V. 23. *Cum esset incipiens quasi annorum triginta*. Graves hinc movent Critici, & Chronographi controversias, ac primum solent inqnirere de anno imperii Tiberiani qnintodecimo a Luca memorato, Deinde quonam praecise anno, & qua ejus aetate fuerit baptizatus. Duplicem non pauci distinguunt Imperii Tiberiani Epocham, alteram Proconsularem, Augustaeam alteram, & utraque reapse est distinguenda. Quod ad primam spectat, Svetonius, Cornelius Tacitus, Vellejus Paterculus testes ejus sunt amplissimi. „ Dedicavit aedem concordiae, ac non multo post (lege per Consules lata) ut Provincias cum Augusto administraret, simulque censum ageret condito lustro in illyricum profectus est. „ Ita Svetonius cap. 21. Annal. de Tiberio. Item Cornelius Tacitus lib. I. Anna. cap. I. habet. „ Filius seu Privignus Augusti, Tiberius Collega Imperii, consors Tribunitiae potestatis assumitur, omnesque per exercitus ostentatur. Haec demum scribit de Tiberio Vellejus Paterculus lib. II. cap. 121. „ Cum res Galliarum maximae molis accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam poena mollisset: et Senatus populusque Romanus, postulante patre ejus, ut aequum ei jus in omnibus Provinciis, exercitibusque esset . . . in Urbem reversus jampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatisque egit triumphum „ Hinc potissimum conficere est Tiberium Proconsulare imperium fuisse indeptum an. U. C. 765. Coss. Caesare, & Capitone an. 4. Olymp. 197. Juliano 57. Aer. Vul. 12. Enimvero tunc Tiberius in consortium imperii fuit admissus, cum ad urbem reversus ex Panoniis, Dalmatisque egit triumphum. Ast id factum fuisse Caesare German. & C. Fontejo Capitone Coss. omnes assentiuntur. Hoc igitur anno imperium Procon-

consulare obtinuit. Exploratior adhuc, imo liquido constans altera est Tiberii Epocha, nimirum Augustaea. Certum enim est imperatorem Augustum Nolae decessisse an. U. C. 767. Pompejo, & Apulejo Consulibus, A. Æ. V. 14. mensis sextilis die 19. postquam regnasset an. 17. mens. 5. quatuorque diebus. Pronum ex enucleatis est colligere Christum baptizatum fuisse an. U. C. 779. Coss. Cornelio Lentulo Getulio, & Calvisio Sabinio Æ. V. 26. Olymp. 201. an. 2. aetatisque suae anno trigesimo ineunte, aut exeunte. Et sane Christus, ut supra fuit adnotatum ex Lucae cap. 3. baptizatus est anno XV. Imperii Tiber. Caes. Ast annus iste ad Augustalem Imp. Tiber. annum non est referendus. Si enim referretur incideret in an. U. C. 781., quo quidem anno Christus aetatis fuisset an. 32., vel 33., si natus fuerit, ut alibi traditum a nobis est an. U. C. 749., aut praeeunte, quod dubio procul repugnat Evangelistae scribenti: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Verba itaque facit Evangelista de anno XV. Imperii Tiberti proconsularis, atque adeo supra expresso anno Christus fuit baptizatus. Tunc vero fuisse Cristum Dominum ὡσεὶ ἐτῶν τριακόντα unanimiter docent etiam Ecclesiae Patres. Superest, ut de mense, ac die, qua Christus baptisma admisit quidquam attingamus. Sanctus Epiphanius haer. 51. Christum baptizatum scribit *die 12. mensis Athir, idest octava Novembris*; & ex recentioribus Criticis aliquos habet sectatores. Verum ab hac nos recedere sententia plura etiam, atque etiam suadent. Movet nos primum, ut cum Joanne Laurentio Berti lib. 29. cap. 8. prop. III. dicamus „ traditio Romanae, & Apostolicae Ecclesiae, quae in solemni Ephiphaniorum die Magorum adventum, & Redemptoris baptismum concelebrat, affirmatque eadem die recurrente utrumque contigisse. Viget eadem traditio apud Ecclesias caeteras: nam Christiani Copti, ut scribit Scaliger lib. VII Emendationis temporum, quotannis sexta Januarii die memoriam baptismi Dominici recolentes sese in piscinam immergunt. Armenii pariter VIII. idus Januarias crucem in aquam immitunt Christi Baptismum recolentes „ . . . . Accedunt hujusce traditionis testes Ecclesiae Patres, S. Eusebius in Epistola ad Marinum, S. Hieronymus in cap. I. Ezechielis, ac Sanctus Paulinus, qui Nat. IX. in S. Felicem de Epiphaniorum die sic cecinit:

Qua puerum Stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi; seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne
Sacrantem cunctis recreandis gentibus undas.

XXXIII. Coelis apertis, dum Christus baptizabatur, Spiritus

 San-

Sanctus super eum descendit, idque ita exprimit Matthaeus Cap. 3. V. 16. *Jesus . . . vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se*: Marcus vero Cap. V. 10. sic: *Vidit Spiritum tanqnam columbam descendentem, & manentem in ipso*. Lucas demum Cap. 3. v. 22. inquit: *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*. Isthaec expendens Tertullianus libro de carne Christi cap. 3. scribit. „ Spiritus tam vere erat columba, quam spiritus: nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia aliena. „ Hinc si quis inferret juxta Tertulliani mentem per Spiritum Sanctum in unitatem suppositi, columbam fuisse assumptam, facile reponeremus opinionem ejusmodi, nedum repudio dignam, verum etiam contemptu nobis videri. Ipsi equidem adversantur Ecclesiae Patres, quos inter commemorare lubet S. P. Augustinum tractat. 99.. in Joannem, Chrisostomum Homil. 3. in Matthaeum. Sed Doctor quoque Angelicus est consulendus, qui 1. p. q. 43. a 7. ad 4. sic controversiam dirimit: „ Non opportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta a Spiritu Sancto in unitatem personae, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. „ Extremum vero alterum, quod nonnullis arridet, nostrum est praecavere, nimirum columbam, quae super Christum descendit, nonnisi columbae similitudinem gessisse; immo adfirmantibus S. P. Augustino, & D. Thoma vera fuit columba: prior enim lib. de Agone Christiano cap. 22. scribit: „ ambo illa corpora (idest corpus Christi: & corpus columbae) vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret filius Dei, sic non decebat, ut homines falleret & Spiritus Sanctus „. S. quoque Thomas 3. p. q. 39. „ Dicendum, quod non decebat, ut filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione uteretur, & ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit. Et quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus veritatis, ut patet Joan. 16. ideo etiam ipse veram columbam formavit, in qua appareret, licet non assumeret ipsam in unitatem personae. „ Ad alia vero gradum faciamus. Praeterquam quod in baptismate Christi coeli sunt reserati, descenditque Spiritus Sanctus super ipsum, vox quoque audita est Patris inquientis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*. Matt. cap. 3. V. 17. Quaerunt heic nonnulli, an revera isthaec fuerint, quae resonuerunt Patris verba, vel illa potius Marci, & Lucae; *Tu es filius meus dilectus, in te complacui*. Cajetanus, & quidem alii, postrema haec audita fuisse contendunt; sed vix id controversiae genus operam expostulat: Observante enim S. P. Augustino lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 14. licet Evangelistae eandem verbotenus

non

non retulerint locutionem, eandem tamen retinuerunt sententiam. Satius inquiritur num miracula in Christi baptismo peracta noverint sensibiliter adstantes? In affirmantium sententiam pertrahimur, tum quod rationi apprime videatur consentaneum quaecumque, tunc facta sunt in testimonium Divinitatis Christi fuisse patrata, tum etiam, imo vel maxime, quod Ecclesiae Patres idipsum expresse dogmatizarint. Laudandi heic essent Chrysost. Homil. 12. in Matth. Hieronymus in cap. 3. Matthaei, Hilarius, S. P. Augustinus, aliique, sed horum sat est meminisse.

XXXIV. Christum Dominum post admissum baptismum summae humilitatis exemplique causa, spiritu duce, in desertum secessisse tradunt Matthaeus, Marcus, & Lucas. Tunc Jesus inquit Matthaeus cap. 4. *ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur*. Marcus vero cap. I V. 12. *Et statim, ait, spiritus expulit* eum in desertum. Lucas denique cap. 4. V. 1. *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane, & agebatur a Spiritu in desertum*. Itaque Mathaeo perhibente Christum in desertum fuisse ductum, ut tentaretur, dubium I. suboritur, an Christus in desertum actus fuerit a spiritu nequam, vel potius a Spiritu Sancto? At communiter Patres, & interpretes omnes docent a Spiritu Sancto id fuisse praestitum: Ita porro sentit Origenes Homil. 29. in Lucam, D. Chrysostomus Homil. 13. in Matth. S. Hierony. in caput 4. Matth. S. Gregorius Homil. 10. in Evangel. aliique. Quaerunt 2. quid significet ille loquendi modus, *ut tentaretur a diabolo*. Particula *ut*, quae in Graeco textu non extat, (ibi enim legitur πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου.) haud equidem sic est accipienda quasi significet Spiritum Sanctum directe intendisse, ut Christus tentaretur, quod Deo prorsus indignum; benevero permissive se habuisse Spiritum Sanctum, ut Christus de hoste, qui in Paradiso vicerat, in deserto triumpharet, ut fideles suos exemplo ejus ad tentationes fortiter reprimendas muniret. At quare sciscitantur alii diabolus voluit Christum tentare? Ille fortasse, regerunt Ecclesiae Patres, hujus Divinitatem ignorans, esset nec ne Christus Homo-Deus sic voluit explorare. Sanctus Ignatius Martir Ep. 8. ad Philippenses diabolo exprobans, quod licet cognoverit Angelorum in Christi Nativitate concentus, Magorum adorationem &c. ad calcem subdit. „ Vidisti hominem quadraginta diebus & noctibus, nullo humano cibo degustato perseverasse, qui primum videras quasi communem hominem baptizatum. Deinde post jejunium esurientem rursum animum resumebas, ac tentabas quasi communem hominem, ignarus quis esset. Dicebas enim: *Si filius Dei es*, hoc enim

enim est ignorantiae. Eodem modo sentiunt Sanctus Hilarius, Sanctus Ambrosius, Sanctus Pater Augustinus, aliique communiter.

XXXV. Expleto in deserto 40. dierum jejunio, tentationibus exsuperatis Angelorum ministratione admissa petit Jesus ad ripas Jordanis, tuncque Joannes Baptista Legatis, quos ad eum miserant Judeorum proceres, respondit, se Christi, sive Messiae praecursorem esse non ipsum Christum. Post legationem hanc Jesus venit ad Joannem, a quo declaratus est *Agnus Dei*, verusque Messias ab omnibus expectatus. Andreae & Petro Jesus primum innotescit, vocatque Philippum, qui Nathanaeli eum patefacit, cum quo Jesus colloquitur. Venit inde Jesus in Galilaeam, interest Nuptiis in Cana Galilaeae celebratis, & aquam inibi in vinum convertit. Hactenus ex Evangelistis, ac praesertim Joanne Cap. I. a V. 15. usque ad 11. Cap. 2. Obiter heic est advertendum apud omnes ferme interpretes in confesso esse, quodruplex Joannem Baptistam Christo praebuisse testimoninm. Primnm ante Christi baptisma, & prostat Mat. 3. V. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est &c.* Testimonium alterum dedit, ut Joannes habet Cap. I. V. 26. post Christi tentationem, tunc cum Sacerdotibus, & Levitis ad eum missis respondit. *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* & V. 27. *ipse est, qui post me venturus est, cujus non sum dignus, ut solvam* &c. Tertium datum est postridie illius diei, quo Joannes legationi Judaeorum satisfecerat; quo de testimonio legitur Joannis I. V. 29. *Altera die vidit Joannes* Jesum venientem ad se, & ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quartum demum Joannes dedit juxta nonnullos testimonium, cum altera die iterum respiciens Jesum ambulantem dixit; *Ecce Agnus Dei*, vel ut alii malunt, dum Joannes baptizaret in Ennon prope Salim. At progrediendum nobis est. Mirum aliquibus facessit Judaeos misisse ad Joannem Baptistam Legatos eum interrogaturos an esset Messias, cum ille de tribu Levi, ac Sacerdotali familia Aaron ortum traxisset, nec Judaeos lateret Messiam futurum ex tribu Juda, & regio Davidis genere. Leviusculam difficultatem alii aliter exsolvunt. Nobis arridet Judaeos revera ignorassse, cujas esset Joannes, ex qua tribu, ac genitoribus prognatus, quippe qui semper in deserto fuerat, atque ex eo inopinato, & extemplo venerat ad baptisma conferendum, ut ex Evangelistis constat. Missa interim Andreae, & Petri vocatione, qua de paulo inferius est agendum, ad trutinam nunc est revocare an Nathanael, quem Philippus adduxit ad Jesum, fue-

fuerit Bartholomaeus Apostolus? Sicut Cornelius a Lapide, Estius (1 & nonnulli alii existimant. Longe nobis verosimilius apparet, quod Nathanael Apostolus non fuerit, adeoque nec Bartholomeus. Sic ex S. P. Augustino edocemur Tract. 7. in Joannem scribente „ Magnum testimonium . . . . quod dictum est de Nathanaele: *Ecce vir Israelita, in quo dolus non est*. Quid ergo facimus Fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis? Non solum primus non invenitur in Apostolis, sed nec medius, nec ultimus „ S. P. Augustino mirifice consonat D. Thomas, qui lection. 16. in cap. I. Joan. sic habet, Ratio autem quare Nathanael non eligitur in Apostolum post tantam Confessionem, ista est quia Christus noluit, quod mundi conversio ad fidem adscriberetur humanae sapientiae, sed solum potentiae Dei. Et ideo non voluit Nathanaelem in lege peritissimum in Apostolum eligere. „ Haud igitur Bartholomeus nomen est patronymicum ut quidam existimant, benevero proprium, non secus, ac Lucas, Barnabas V. G. atque adeo Nathanael neque fuit Bartolomeus, neque inter Apostolos a Christo Domino cooptatus. Quae Christus gessit in Cana Galileae essent tandem exibenda: Unum verò tantum; & alterum heic advertimus. Primo quidem Joannem Evangelistam nullatenus fuisse illarum nuptiarum sponsum, neque per Christum Dominum nuptias dissolventem, ut quibusdam arridet ab eis avocatum. Christus enim, ut Ephesini Concilii Patres docent, ad nuptias ideo venit, ut iisdem benediceret, non igitur venit, ut eas dissolveret. Aliunde Joannem virginitatem coluisse prorsus est inconcussum. Vino in hisce nuptiis deficiente, Deipara Virgo Christum rogat, ut ejus suppleat defectum, cui Christus Joan. 2. V. 4. respondet: *Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*. Admiranda haec responsio prima fronte videtur et repulsam quamdam, & reprehensionem portendere. Sed nihil veri nominis reprehensionis sapere, quidquid alii sint opinati, veneratio quam debemus Sanctissimae Dei Genitrici, nos allicit propugnare.

XXXVI. Postquam Christus Dominus Cana relicta descendit Capharnaum, atque hinc Jerosolimam petiit ad Pascha celebrandum, edocto ibi Nicodemo, qui noctu eum adierat, relinquens Jerosolimas ivit in *terram judaeam*, & illic morabatur, baptizans. Adhuc

& ipse

(1) Apud Nicolaum Serarium virum per eximium T. I. p. edit. Moguntiæ 172. Rubertus Tuitiensis, Galesius, & Onuphrius probabiliter putaut Bartholomæum illum esse, quem D: Joannes Nathanaelem vocat, Joannes Laurentius Berti lib. XXIX. De Theolog. disciplinis cap. 6. num. 11. inquit „ Bartholomæus videtur dictus πατρωνυμικῶς, quasi *filius Ptolomaei*. unde non male Onuphrius noster, Rupertus, Jansenius, Serarius, nec non Grotius in cap. Lucæ XXIV. opinantur Bartholomæum esse Nathanaelem, de quo Joannis I. 46. nos vero eorum rationibus non satis acquievimus.

& ipse Joannes Baptista (ut inquit sub finem Cap. 2. Joan.) baptizabat. Verum Matthaeo referente ab Herode captus in carcerem detruditur. Quando nam hoc facinore Herodes sese alligaverit non satis constat. Nullus enim Evangelistarum in hacce narratione rei gestae ordinem servavit. Matthaeus, et Marcus ejus detentionem morti junxere; atque adeo per recapitulationem narraverunt. Lucas per anticipationèm retulit, siquidem Cap. 3. ante Christi baptismum eam describit. Certior est ejus conjectionis in carcerem detruncatique capitis causa; increpaverat enim Joannes Herodem ob illicitum matrimonium, quod cum Herodiade uxore fratris sui Philippi contraxerat. Hanc porro causam nitide exprimunt Matthaeus Cap. 14. & Marcus Cap. 6. Lucas vero ait Cap. 3. non modo de vetitis nuptiis, verum de aliis etiam flagitiis, quae silentio premit Herodem ab Joanne fuisse reprehensum: *Cum corriperetur*, inquit, *Herodes ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus, quae fecit Herodes*. Sed iterum ad Joannis in carcere dententionem regrediendum. Censet Bernardus Lamy vir sane perdoctus, in sua Harmon. Evangel. bis illum in carcerem fuisse coujectum; Primo quidem a Pharisaeis, seu a Synedrio, idque contigisse existimat, cum Jesus esset in deserto. Secundo post elapsum fere annum, & quidem mandante Herode. Haec vero opinio prorsus singularis, nedum communi interpretum sensui, verum etiam sacris litteris ac praesertim Marco, & Lucae aperte videtur repugnare. Nec sapientis est cum eodem Lamyo asserere, Marcum, & Lucam hujusce rei testes non fuisse oculeos, atque propterea Christi iter, eo quo contigit ordine non retulisse, benevero quo ab aliis audiverant contigisse, perinde ac si Marcus, & Lucas aeque ac Evangelistae reliqui èx afflatu Spiritus Sancti Evangelium non scripserint: quod sine grandi piaculo, ne potest quidem in suspicionem adduci:

XXXVII. Joanne Baptista in carcere detento Christus Dominus multis peragratis regionibus, multisque editis miraculis publicam dat Evangelicae praedicationi operam, & ad mare Tiberiadis vocat Petrum, et Andream Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus, ut inquit Matthaeus Cap. 4. Ut enim Joannes Cap. I. V. 37. manifeste tradit Petrum, & Andream fuisse vocatos, dum Christus post devictas diaboli tentationes venerat ad Joannem, ab eoque *Agnus Dei* fuerat declaratus, merito sacri inquirunt interpretes, quoties Petrus, & Andreas fuerint vocati? Bis id factum fuisse nemo non approbat, sed an ter etiam fuerint vocati haeret controversia, atque ab eo pendet, num vocatio, qua de Lucas, una sit eademque cum illa, quam Matthaeus, & Marcus describunt? Multis

hinc, & inde disceptantibus; verosimilior eorum nobis videtur sententia, qui triplicem propugnant vocationem. Ita profecto docuerunt S. P. Augustinus, & S. Thomas: Ille enim in lib. 2. de Consen. Evangelis. cap. 17. hanc quaestionem sic discutit, & resolvit. „ Quaeri potest, quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores; primo Petrum, & Andream; deinde progressus paululum alios duos filios Zebedaei, sicut narrant Matthaeus, & Marcus, cum Lucas dicat ambas eorum naviculas impletas magna illa captura piscium, sociosque Petri commemoret Jacobum, & Joannem filios Zebedaei vocatos ad adjuvandum: cum retia extrahere plena non possent, simulque miratos tantam multitudinem piscium, quae capta erat: Et cum Petro tantum dixisset: *Noli timere. ex hoc jam homines eris capiens*: simul eum tamen subductis ad terram navibus secutos fuisse. Unde intelligendum est hoc primo esse factum, quod Lucas insinuat. Nec tunc eos a Domino vocatos, sed tantum Petro fuisse praedictum, quod homines esset capturus. . . Unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret, quod Mathaeus, & Marcus narrant; quando eos binos vocavit, & ipse jussit, ut eum sequerentur: Primo duobus Petro, & Andreae, deinde aliis duobus filiis Zebedaei. Tunc enim non subductis ad terram navibus tamquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt tamquam vocantem, ac jubentem, ut eum sequerentur. „ Quid vero Doctor Angelicus? En ejus verba in cap. 4. Matthaei: Sciendum quod trina fuit vocatio Apostolorum; primo enim vocati sunt ad Christi familiaritatem. . . Secundo vocati fuerunt ad discipulatum. . . Tertia vocatio fuit, ut totaliter Christo adhaererent. „

XXXVIII. Vocationem quoque, conversionemque suam refert Matthaeus cap. IX. V. 9. scribens: *Et cum transisset inde Jesus vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine &c.* eamdemque vocationem, & conversionem narrat Marcus cap. 2. & Lucas 3. Haec cum contigissent discipuli Joannis a Pharisaeis verosimiliter instigati sciscitantur, quare discipuli Christi jejunium non custodiant? Quorum postulationi postquam Dominus satisfecit discedens a littore maris filiam Jairi suscitaturus, mulierem profluvio sanguinis laborantem sanat in via. Hactenus expressa hocce evenisse ordine liquido patet ex Matthaei verbis cap. IX. V. 18. *Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, & adorabat eum &c.* Scilicet dum Christus Phariseis, & discipulis Joannis respondebat, tunc Jairus Synagogae Princeps advenit. Verum quidem est Marcum, & Lucam alio in loco hujuscemodi historiam retulisse, sed tamen a Matthaeo non discrepant, nec enim ipsi temporis ordinem semper sunt secuti. Sani-

nitati restituta muliere secus viam, de morte filii Archisynagogi venerunt nuntii, ut Marcus habet cap. V. V. 35. Et petens Jesus domum Jairi nemine intromisso, nisi Petro, Jacobo, & Joanne filiam duodennem jam mortuam revocat ad vitam. Antilogiam, velut nodum in syrpo, heic quaerunt nonnulli, propterea quod Matthæus scribat: *Filia mea modo defuncta est*: cum ex Marco cap. V. V. 35. constet postea obiisse; unde etiam, & heic Evangelista refert Jairum dixisse: *Filia mea in extremis est*. Sed nullum isthæc facessere negotium vidit S, P. Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 28. scribens: „ Attendit (Matthæus) non verba patris de filia, sed quod est potissimum, voluntatem, & talia verba posuit, qualis voluntas erat. Ita enim desperaverat, ut potius vellet eam reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque (nempe Marcus, & Lucas) posuerunt quid dixerit Jairus: Matthæus autem quid voluerit, atque cogitaverit. „

XXXIX. Narrante Joanne cap. V. Jesum ascendisse Jerosolymam ad diem festum ibi celebrandum, & V. I. scribente: *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam*: Quinam foret dies ille festus inter Criticos controvertitur. Sanctus Cirыllus lib. 11. cap. 123. Chrysostomus Homil. 35. in Joan. & D. Thomas in caput V. Joannis Pentecostem fuisse affirmant. Sanctus vero Irenaeus lib. 11. advers. haeres. cap. 39. Eusebius lib. 8. Demonstrat. Evangel. S. Hieronymus, & Theodoretus festum Paschatis admittunt. Horum sententiæ facile adhærescimus. Interim missis cæteris rationum momentis; ex quibus rite deduci nobis est exploratum, illud animadvertimus, videlicet Joannem pro gentibus ad fidem conversis Evangelium exarasse, quæ verosimiliter de Judæorum festis non satis cognoverant, dempto omnium celeberrimo, nimirum Paschatis. Joannes itaque, si de festo alio sermonem habuisset, notam distinctionis, quod ei familiare fuit, minime neglexisset. Et sane cum de aliis agit festis, ut cap. VII. V. 2. inquit: *Dies festus Judæorum Scenopegia*, & cap. X. V. 12. *Facta sunt Encænia Jerosolymis*. Diem itaque festum illum ad Paschalem solemnitatem rite malumus referendum. Christum Dominum Jerosolymæ ad probaticam piscinam languidum sanasse, inter alia, ibidem narrat Joannes. Quare piscina illa probatica dicta fuerit non moramur. Putant aliqui ita nuncupatam a Græca dictione πρόβατον, quatenus oves ibi offerendae in templo mundarentur, atque hinc Hieronymus lib. de locis Hebraic. inquit: „ Hostias in eo lacu, seu piscina, lavari a Sacerdotibus solitas, ferunt. „ Existimant alii sic appellatam, quod esset juxta ovile, in quo victimae in templo immolandae servarentur. Isthaec

haec porro inde videtur verosimilior, quod nullibi victimas in templo mactatas, extra templum lotas Scriptura commemoret, atque juxta altare Holocausti in mari aeneo sufficiens esset aquarum copia. Ad vetustum ac celebre jam progredimur dubium a D. Hieronymo, S. Gregorio Nazianzeno propositum de Sabbatho secundo-primo in Evangelio Lucae cap. VI. V. I. sic memorato: *Factum est autem in Sabbatho secundo-primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manibus*. Diem primum azymomorum fuisse sabbathum illud opinatur Isidorus Pelusiota epist. 110. Et Euthymius in cap. VI. Lucae; erat enim, inquiunt sabbathum primum, quia erat dies primus azymorum, erat etiam secundum, quia in vespera praecedenti solemnitas fuerat agni Paschalis. Censent alii significari sabbatho illo festum Pentecostes, quod esset secundum festum inter prima, seu primo a Deo instituta, sicuti Levit. cap. XXIII. legitur. At vero quin opiniones quascumque sabbathum proprie dictum excludentes contemptui habeamus, eam praediligimus Josephi Scaligeri lib. VI. de emendat. Temp. cap. 6. atque Tirini sententiam, quae illa *in sabbatho secundo-primo* sic reddenda esse decernit: in sabbatho a secundo die azymorum primo. Haec porro apud nos est verosimilior, quod Judaei, ut Pentecostes festum figerent, a secundo azymorum die sabbatha septem adhibentes, sicuti praeceptum fuerat in Levit. cap. XXIII. V. 15. sabbathum primum, secundum, tertium &c. numerarent, atque adeo sabbathum a secundo die azymorum primum dixisse Lucam per abbreviationem secundo primum.

XL. Christus Dominus in Galilaeam reversus secedit ad mare turbam ibi docens, morbosque curans, ut Matthaeus Cap. XII. V. 21. & Marcus III. V. 7. testantur. Paulo post turbis relictis ascendit in montem, pernoctat in oratione, eligitque ex discipulis Apostolos duodecim, ad quos una cum turba longum sermonem habet Christianae perfectionis compendium, qui *sermo Domini in monte* dicitur, atque a Matthaeo toto Cap. VI., & VII. refertur; a Marco vero Cap. III. V. 13. & Luca VI. V. 12. usque ad calcem. Sermonem istum a Matthaeo relatum, alium esse ab eo quo de Lucas Cap. III. nonnulli interpretum existimarunt. Rectius tamen S. Ambrosius in Lucam, S. P. Augustinus lib. 2. de consens. Evangelist. cap. XIX. Chrisostomus, Theophilactus, aliique censent esse eundem. Reapse idemest utriusque sermonis initium, finis idem, nec eam praefert adjunctorum varietatem, quae adversae sententiae pondus adjiciat: Quinimmo uterque Evangelista inquit turbas multas Christum fuisse secutas, & Christum, absoluto sermone, leproso sanitatem, restituis-

tuisse, Capharnaum accessisse, & ibi Centurionis filium valetudine donatum esse. Inter Matthaei, & Lucae narrationem aliquid esse discriminis nemo diffitetur, sed facile posse ad concordiam vocari lib. II. de Consens. Evangelist. docuit S. P. Augustinus. Illud enim, quod Matthaeus asserit, sermonem habitum esse *in monte*; et Lucas *in loco campestri* sic feliciter diluit S. Doctor. cap. XIX. „ Potest intelligi eum in monte duodecim discipulos elegit, quos Apostolos nominavit, quod Matthaeus praetermisit, tunc illum habuisse sermonem, quem Matthaeus interposuit, & Lucas tacuit, hoc est in monte, ac deinde cum descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthaeus tacet, Lucas non tacet, & utrumque sermonem eodem modo esse conclusum. „ Quod si quis mordicus teneat semel tantum concionem ejusmodi habitam a Christo Domino, partim quidem ad discipulos, partim ad turbas hunc quoque conciliationis modum non reprobat Sanctus Pater loco citato scribens. „ In aliqua excelsiore parte montis primo cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit, deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locum, idest in aliquam aequalitatem, quae in latere montis erat, & multas turbas capere poterat: Atque ibi stetisse, donec ad eum turbae congregarentur. Ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos ejus, atque ita illis caeterisque turbis presentibus unum habuisse sermonem, quem Matthaeus Lucasque narraverunt, diverso narrandi modo sed eadem veritate rerum, & sententiarum, quas ambo dixerunt. „

XLI. Audita Christi concione admirabantur turbae super doctrina ejus: *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribae eorum, & Pharisei*, ut inquit Matthaeus cap. VII. V. 28. & 29. In textu Graeco observante ex nostris Martino Woters in dilucidat. Quaest. select. pag. edit. Patav. 249. verba illa: *Erat enim docens eos, sicut potessatem habens* &c. sic leguntur: Ην γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμμάτεις αὐτῶν, καὶ φαρισαῖοι: Quorum hic videtur sensus: „ Christus non docebat turbas. praesertim in hac concione, sicut Scribae, & Pharisaei docebant, qui omnia sua probare conabantur ab auctoritate Moysis, & prophetarum, sed sicut ipsemet potestatem habens legislatoris, seu legis condendae. Hinc non ait: Moyses dixit &c. *Sed ego autem dico vobis*: nempe ut Legislator. Heic ergo significatur, inquit Estius Christum fuisse Legislatorem: nec talem, qualis Moyses, qui tantum erat Dei internuncius verba Dei ad populum referens; sed qui suam ipsius legem proferret. „ Inquirendum nunc esset, ubinam a

Chri-

Christo Domino fuerit curatus Leprosus? Verum prope civitatem Capharnaum factum id fuisse plane constat. Difficultatem potius ingerit I. an Centurio (cujus servum Christus urbem Capharnaum ingressus, paralysi liberavit) Judaeus esset, vel Gentilis? II. an ex se accesserit ad Christum, ut videtur Matthaeus asserere Cap. VIII. V. 5. vel potius per seniores, ut Lucas inquit Cap. VII. V. 3. Primum quod attinet, alienigenam fuisse illa satis edocent Christi verba: οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον: Alterum vero ita expedit utrumque Evangelistam concilians S. P. Augnstinus lib. 2. de Consens. Evangelis. cap. 20. „ Non solum dicere solemus accessisse aliquem etiam antequam perveniat illuc, quo dicitur accessisse: unde etiam dicimus parum accessit, vel multum accessit eo, quo appetit pervenire, verum etiam ipsam perventionem, cujus adpiscendi causa accedit, dicimus plerumque factam, & si eum ad quem pervenit, non videat ille, qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem. . . . . Non ergo absurde Matthaeus, etiam quod vulgo possit intelligi per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit. *Accessit ad eum Centurio*. „

XLII. Postquam sanaverat Christus Centurionis servum Capharnao discessit, ad Civitatem Naim proficiscens, & prope hujus oppidi januam filium Viduae, ad vitam revocavit, ut Lucas narrat Cap. VII. V. II. interim Joannes e carcere binos mittit ad Christum discipulos, & a Christo pluribus nominibus Joannes laudatur, dum increpat judaeorum impoenitentiam, Corozaim maxime, Betsaidae, & Capharnai. Post haec statim snbdit Lucas historiam mulieris peccatricis, quae ad pedes Salvatoris in domo Simonis Pharisaei prevoluta, peccatorum veniam obtinuit, Quonam tempore figenda sit haec istoria nondum satis est exploratum. At enim Concordiae Evangelicae Auctores hoc loci de ea solent pertractare, & nos iisdem fere cogimur morem gerere. Non una fuit apud veteres de Evangelica Magdalenae historia sententia: Quidam enim unam dumtaxat, quidam duas, tres alii fuisse crediderunt. Quin nec defuere, qui quatuor diversas mulieres, quae Christum unxerunt apud quatuor Evangelistas, esse contenderent. Ex his prima censebatur, quae Lucæ VII. Christum apud Simonem discumbentem unxisse, lavisse, & tersisse legitur. Altera soror Lazari, quæ ante sex dies Paschæ, Joannis XII. Christi pedes unxit. Tertia quae ante biduum Paschæ, Matthæi XXVI. & Marci XIV. fracto alabastro Domini caput inunxit. Postrema tandem, quæ Joann. XIX. Magdalena dicitur, Christique passioni cum caeteris interfuisse, & ad sepulchrum ejus unguen-

guentum scribitur detulisse. Inter caeteros Eusebius Caesareensis in Epistola ad Marinum tres fuisse asserit. S. Chrisostomus saltem duas astruit Homil. 81. in Matth. S. Hieronymus duas itidem distinguit mulieres, duasque unctiones cum hac tamen differentia, quod unam fuisse putet de qua scribunt Matthæus, Marcus, & Joannes, illam vero Lucæ ab hac esse diversam, unde in Cap. XXVI. Matt. scribit: „ Nemo putet eamdem esse feminam, quae super caput effudit unguentum, & quae super pedes. Illa enim quae & lacrymis lavat, & crine tergit manifeste meretrix appellatur: de hac autem nihil tale scriptum est, nec poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. „ Quamquam vero sententia inter Mariam Magdalenam distinguens, & Sororem Lazari magna gaudeat extrinseca probabilitate, communior tamen, nobisque acceptior illa est, quae statuit unam, eamdemque fuisse mulierem sororem Lazari famosam peccatricem, & Magdalenam. Sententiae huic adhaesit S. P. Augustinus lib. 2. de Cons. Evangelis. inquiens: „ Jam de muliere, atque unguento pretioso, quod in Bethania gestum est (utique a sorore Lazari) consideremus . . . . Lucas enim quamvis simile factum commemoret (de famosa peccatrice) . . . nihil aliud intelligendum arbitror nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quae peccatrix tunc (Lucae VII.) accessit ad pedes Jesu, & osculata est, & lavit lachrymis, & tersit capillis, & unxit unguento, . . . sed eamdem mulierem bis hoc fecisse. „

XLIII. Non ante Christus Salvator egressus est Capharnao, quam ibi demoniacum, caecum, & mutum sanitati restitueret. Pergens inde ad mare multis parabolis, seminis, Zizaniorum, sinapis turbas docuit ac postea venit in Nazareth, ut Lucas tradit Cap. IV. Deinceps vicos Galilaeae circuivit, suppeditantibus vitae necessaria mulieribus, quas inter erat Maria Magdalena, Luca perhibente Cap. VIII. V. I. Quandonam Christus Dominus venerit in Nazareth inter Criticos disceptatur. Robertus Guerardus in compendio Bibliorum nil implicare inquit, iter quo de Lucas Cap. IV. contigisse putari post alterum Christi adventum in Galilaeam; seu post vocationem Petri, & Andreae. Aliis vero placet, & his subscribimus, Christum Nazareth adiisse post supra memoratas parabolas absolutas. Clare id videtur liquescere ex Matthaeo Cap. XIII. V. 53. inquiente: *Cum consumasset Jesus parabolas istas transiit inde*: & veniens *in Patriam suam*, nempe in Nazareth, *docebat eos in Synagogis eorum*. Apparentem hacce super re Matthaeum inter, et Lucam antilogiam sic extricat S. P. Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 42. „ Lucas eamdem rem latius indicat, et plu-

plura commemorat. Nec longe post Baptismum, & tentationem ejus haec inserit, sine dubio praeoccupans, quod multis rebus interpositis postea gestum est... Quod hinc evidentissime intelligi potest, quia Lucas antequam narraret Dominum aliquid fecisse in Capharnaum praeoccupavit hunc locum, ubi cives ejus, & potentiam virtutis in eo stupebant, & ignobilitatem generis comtemnebant. Nam & hoc dicit eis dixisse: *Utique dicetis mihi: Medice cura te ipsum, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*: cum secundum ejusdem Lucae narrationem nihil adhuc legatur fecisse in Capharnaum... Quid est ergo evidentius, quam hoc eum scientem praeoccupasse narrandum, cum utique jam magna ab illo in Capharnaum facta fuisse, & ipse noverit, & ipse commemoret, quae se nondum narrasse utique scit? Neque enim tantum ab ejus baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de iis, quae in Capharnaum gesta fuerat. „ Ita S. P. Augustinus.

XLIV. Christum Dominum Apostolos misisse in terram Irsaelitarum ad praedicationem Evangelii, data iis virtute curationum, ac potestate super demonia refert Matthaeus cap. X. Marcus VI. Lucas IX. Hanc Apostolorum missionem fuisse ordine primam, inde videtur evinci, quod aliam ante non recenseant Evangelistae, immo potius innuant Apostolos ab electione usque ad illud temporis semper cum Domino permansisse. Reversis a praedicatione Apostolis secedit cum eis Jesus in desertum trans mare Galilaeae, ubi quinque panibus, & duobus piscibus quinque virorum millia recreat, & enutrit. Quonam in loco Christus quinque panes multiplicaverit facile inter Ctiticos non convenit, etsi liquido asserat Lucas cep. IX. Christum secessisse *seorsum in desertum locum, qui est Bethsaidæ*. Dissensus causa est, quod de maritimi itineris modo alii aliter opinentur. Venerab. Beda in cap. VI. Marci, Abulensis in cap. IV. Matthaei, Maldonatus, & a Lapide contendunt Christum profecturum trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis ad oppositam partem non transfretasse, bene vero juxta eamdem maris ripam ad civitatem Genezareth, & Bethsaidae navigasse. Malunt vero alii, atque ut opinamur, probabilius, Christum mare Tiberiadis transfretasse, quatenus a parte ejus occidua ad oppositam, seu orientalem plagam navigavit. Id porro videtur innuere Marcus cap. VI. V. 5. inquiens: *Coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam*. Similiter Joannes cap. V. *Abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis*. In deserto itaque sito in opposita ripa e regione Bethsaidae Christum quinque panes multiplicasse verosi-

rosimilius existimamus. Stupendo ejusmodi patrato miraculo sub vesperam jussit Apostolos transfretare, & ascendit in montem, unde quarta vigilia noctis veniens sedat procellam, ut Matthaeus refert cap. XIV. Navigans deinde in terram Genesareth sanat ibi fimbriae etiam tactu male habentes. Altera vero die, ut inquit Joannes cap. VI. in Synagoga Capharnai occasione miraculi de panibus perpetrati, longo sermone tradit admirandam doctrinam illam de pane Caelesti, seu de Venerabili Eucharistia.

XLV. Scribis, & Pharisaeis propter vanas eorum traditiones increpatis, Tyri, & Sydonis regionibus peragratis, filia mulieris Chananeae, quae a demonio vexabatur valetudini reddita, aegrotis aliis curatis, iterum quatuor virorum millia septem panibus, paucisque pisciculis saturavit, sicut Matthaeus habet cap. XV. Veniens postea in partes Caesareae Philippi Simoni confitenti ejus Divinitatem respondet Matthaei cap. XVI. V. 18. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves Regni Coelorum &c.* Quid allatis in verbis *super hanc Petram* Christus Dominus designet, Catholicos inter & heterodoxos non secus ac pro aris, & focis jamdiu est disceptatum. Nostram hacce de re sententiam expressimus in propositionum sillabo, cui titulus; *Excursio in Religionis elementa*, magnis sub auspiciis Patroni Eminentissimi, proborumque omnium amore dignissimi Joannis Archinto S. R. E. C. amplissimi; ibi enim pag. 84. scripsimus ex laudatis verbis evinci Petro universae Ecclesiae principatum, tunc fuisse dubio procul promissum. Non desunt ex iis etiam, qui Catholicis dant nomen, sed reapse Christi Ecclesiae infensissimos se se vel inviti produnt, locum illum quaquaversum exagitantes. Ad Ecclesiae Patres, ac praesertim S. P. Augustinum assolent appellare; qui Tractat. 124. in Joan. sic scribit. „ Super hanc Petram inquit (Christus) quam Petrus confessus est, aedificabo Ecclesiam meam. Petra autem erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus; fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, Christus Jesus. „ Magis etiam obstrepunt eo quod S. Doctor recitatis eorum sententiis, qui Petrae nomine vel Petrum intelligunt, vel Christum, lib. I. Retsactat. inquit capite XXI. „ Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior eligat lector. „ Verum nisi ultro veritati mentis oculos vellent claudere, facile adverterent S. P. Augustinum, aliosque Ecclesiae Patres ab eorum mente longe abesse. S. P. Augustinum quod spe-

spectat, in Tractatu nuper laudato evidens est de praecipuo agere Ecclesiae fundamento, a quo tota Petri soliditas, & potestas promanat; Et illud certe est ipse Christus, quem, hac explicatione supposita, inquit in controverso textu Petram vocari. Sed S. P. minime inficiatur ipsum Petrum debere intelligi, quando agitur de fundamento Ecclesiae secundario, quinimmo hoc saepissime affirmat: ait enim serm. 26. de Sanctis. „ Petrus solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. Dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum. „ In Psalmo quoque 69. dicit: Petrus confessus erat filium Dei, & in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Ecclesia „ & Tractatu VII. in Joan. citans illa Christi verba: *Beatus es Simon Bar-Jona* &c. ait: Ibi Petrum nominavit, & laudavit fundamentum Ecclesiae. „ Neque ex iis, quae proferunt ex lib. Retractat. I. cap. XXI. quidquam valent proficere: asserit enim ibidem S. P. se contra *Epistolam Donati* probavisse Petrum Ecclesiae esse fundamentum secundarium; atque adeo hocce ipsum praesupponens lectori permittit, ut illa verba, eligens quod mavult, vel ad Christum tamquam Petram referat primariam, vel ad Apostolum Petrum tamquam secundariam. Quamvis autem de hac secundaria Petra sint intelligenda, Augustini tempore prorsus inculpate de Petra primaria poterant explicari. Lucem hisce afferunt, quae Joannes Laurentius Berti scribit lib. 29. de Theolog. Discipl. cap. VI. num. 11. Apostolorum Princeps *Simon* vulgari &c. ut in adnotationibus est observare (1).

XLVI. Universae Ecclesiae Principem Petrum vix ac Christus Dominus infallibili promissione designaverat, passionem, ac mortem sibi praedicit subeundam. Octavo post die transfiguratur in monte, ex quo descendens e lunatico ejicit demonium. Digressus inde in Gallilaeam iterum passionem, ac resurrectionem ejus praenuntiat, Capharnaumque ingressus, ut narrat Matthaeus cap. XVII. pro se, & Petro solvit didrachma. Quinam census foret, vel tributum, pro-

H pter

(1) Apostolorum-Princeps *Simon* vulgari apud Hebræos vocabulo appellatus; & quo denotatur *vir obediens*, filius *Joannis*, Joan. XXI. 15. & *Jonae* Matth. XVI. 17. quo nomine etiam *Columba* signatur, superinditum habet a Christo nomen *Petrus* Matth. XVI. 18. sive *Cephas* Joan I. 42. eo quod ipse sit Ecclesiae *petra fundamentum*, & *caput*. Neque hæreticis denegantibus Romanorum Pontificum in Ecclesia Primatum suffragantur illi Patres, qui ea verba Matt. XVI. 18. *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* aliquando ad Christum referunt, aliquando ad fidei confessionem; Enim vero hi Patres minime negant Petrum quoque esse Ecclesiæ *petram*, & in Ecclesia tenuisse Primatum, imo asserunt ideo Primatum obtinuisse, quoniam in ejus Persona Christi fides inconcussa debebat persistere, & ipse Petrus Christi, qui Ecclesiæ est fundamentum, & angularis lapis, vices gerebat.

pter quod didrachma exigeretur, Criticos inter, atque interpretes controvertitur (1) Putant nonnulli cum Joanne Chrysostomo Homil. 59. in Matth. publicanos illud petiisse tributum, quo de Numeror. XVIII. V. 15. lex prostat: *Pro hominis primogenito pretium accipias.. cujus redemptio erit post unum mensem syclis argenti quinque, pondere Sanctuarii*. Interpretes alii S. Hieronymum secuti heic agi propugnant de tributo eo, quod Cæsar Augustus Judæis imposuerat, dum Cyrini opera universum orbem jusserat describi. De illo vero tributo malunt alii pertractari, quod exigebat Deus a filiis Israel juxta Exodi legem cap. XXX. V. 11. *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen dimidium sycli, juxta mensuram templi. Syclus viginti obolos habet: Media pars sycli offeretur Domino. Qui habetur in numero, a viginti annis, & supra dabit pretium. Dives non addet ad medium sycli, & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Postremam hanc sententiam cæteris anteponimus, facilemque inde habent explanationem, quæ illa data occasione Petro dixit Christus Dominus: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, & censum? A filiis, an ab alienis? & dixit ab alienis. Dixit illi Jesus, ergo liberi sunt filii*. Hunc nimirum praeferunt sensum: Reges terræ non petunt tributum a filiis, sed tantum ab alienis, adeoque filii sunt liberi: Ergo similiter Deus Pater a me filio suo hocce tributum non exigit, sed tantum a populo ejus: Subdit vero Christus Dominus: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem; qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te*. Tributum itaque solvit Christus Dominus, ne scandalo afficerentur, qui illud repetebant facile credituri, ideo Christum se Dei filium vocare, ut a solvendo tributo esset immunis. (2)

XLVII.

(1) Dum Christus Capharnaum intraret cum discipulis suis accesserunt ad Petrum τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες. *Et dixerunt. Magister vester non solvit didrachma? Ait etiam*. Lyranus, Abulensis, & Cajetanus illa: *Λέγει ναί: ait etiam*: negativo sensu accipiunt. At verosimilius Titelmanus, aliique affirmanter, interpretantur.

(2) De hoc tributo, erudite scribit Possinus in Spicilegio Evangelico adjecto lib. *Catena Graecorum &c.* p. 398. duo sunt observanda. Prius personale illud fuisse: hoc est non domicilii, aut soli ratione debitum, sed ipsa nascendi conditione Judæo cuivis impositum. Unde illi erant obnoxii etiam peregre degentes. Ac quia Ju-

dæi

XLVII. A Galilaea Christus recedens per mediam Samariam ascendit Jerosolymam ad festum Scenopegiae, ut omnes Evangelistae suis respective locis testantur. Jerosolymis degens mulierem in adulterio deprehensam dimittit, eique mandat, ut imposterum a peccatis caveat diligenter. Mulieris hujus historiam Joannis cap. VIII. exaratam authenticam habere quamplurimi detrectarunt. Missis interim Anabaptistis, Joanne Calvino, Theodoro Beza, eorumque asseclis, scriptores novimus Catholicos, eosque doctissimos, qui licet de ejus auctoritate apud Joannem non hæsitaverint, difficilis tamen esse ex vetustis M. SS. probationis, asseruerunt. „ Consului (inquit Maldonatus Comment. in cap. VII. Joan.) veteres Græcorum Codices multos: Nullus ex M. SS. habebat praeter unum. Non habebat antiquissimus ille Vaticani Codex, quem saepe nominavimus, non Graeca catena, in qua, cum tres, & viginti auctores sint, nemo ejus meminit. Habemus Graecos impressos multos, Origenem, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Nonnum, Theophilactum. Nemo eorum legit; cum Chrysostomus, & Theophilactus scripserint in totum Joannem Commentarios. „ Addit inter caetera Maldonatus apud Euthymium utique reperiri, sed ita ut infirmetur potius, quam confirmetur ejus auctoritas; quandoquidem neotericus ille inter Graecos Scriptor perhibet in emendatioribus apographis deesse, obeloque notari, veluti additionis signo, ubicumque adinvenitur. Nihilotamen minus jure optimo stat Maldonatus pro illius cononicitate, quam ex Ammonio Alexandrino, Hieronymo, Athanasio, Ambrosio, Augustino, aliisque Ecclesiae Patribus feliciter demonstrat: Omnibus vero, quos legere datum fuit, palmam praeripuit dignus immortalitate vir Joannes Antonius Georgi (1) Sed liceat cum Seldeno apud Valaeum

dæi magno numero in cæteris Provinciis, atque urbibus vivebant, ex locis, ubi domicilium habebant mittere quotannis Hierosolymam soliti erant magnas pecuniæ summas ex didrachmo, & aliis Templi juribus, primitiis, oblationibus, votis redactas; usque ad Gentilium invidiam, querentium exananiri Provincias, & totum Orbem Judæorum Sacerdotibus vectigalem reddi. Unde sunt illa Ciceronis in oratione pro Flacco: *Cum aurum Judaeorum nomine quotannis ex Italia, & omnibus provinciis vestris Jerosolymam exportari soleret. Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Quod recte illum fecisse defendit. Alterum observatu dignum est: tributum istud non Regi, Reipublicæ, & Fisco, sed Deo solutum a Judæis, Dominum eum suum, seque illi servos sic agnoscentibus. . . Christus recte colligit immunem se se ab hujus pensitatione tributi, quippe qui filius Dei verus esset.

(1) In opere elaboratissimo, cui inscriptio: Fragmentum Evangelii S. Johannis Græco-Copto Thebaicum sæculi IV. Additamentum . . . ex Veliterno Museo Borgiano &c. castigat in primis *Clericum*, qui scripsit magno quidem ausu *nullum usquam ullius judicii antiquae Ecclesiae de hac historia vestigium* adinveniri. Deinde *Wetstenium*, qui, ut habet Georgi, vincit audacia *Clericum*, obiicitque stili dissonantiam inquiens: *Stilus hujus* περικοπῆς *a Joanne dissentit: Johannes enim raro conjunctiones, rarius* δὲ *habet*,

laeum Comment. in Joan. sic finem facere. „ Mirum non est in saeculis primitivis exemplaria fuisse, hodieque manere, quibus hae, aliaeve periochae sacrae deessent, cum scilicet audacium nimis exscriptorum complurium mos tunc esset aliter, atque aliter pro multiplici Judiciorum discrimine, Evangelia variatim emendare augere, minuere. „

XLVIII.

bet; quae hic comm. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 11. bis occurrit. Johannis stilus valde est simplex, hic vero ornatior comm. 9. 10. Sed quid diximus castigat? Immo prosternit, atteritque. Productis siquidem firmissimis ex antiquitate pro germanitate historiæ, qua de agitur, monumentis, difficultatem quam Wetstenius potissimum urget ex Codicibus, in quibus vel desideratur, vel in suspicionem adducitur, undique munit, ac solidat, ut lapsu inde graviore ruat. Aliqua liceat exscribere. „ Ad Romanos Codd. ait pag. 205. pergamus necesse est. Eis itaque paucis qui ex Romanis Biblioth. tamquam hujus historiæ immemores proferuntur, alios quos opponamus, uberiori copia, & quidem (si unum Alexandr. Vatic. excipias) antiquitatis prestantia, maxima ex parte spectabiliores, habemus. Hi sunt Vatic. 53. 229. 349. Sæc. X. 359. 363. 757. 1210. 1254. Palatino-Vatic. 189. Barbar. 8. 9. 11. 12. 14. Ex Biblioth. S. Mariæ in Valicella Sig. C. 61. & alter sig. F. 90. Sæc. X. Ex Biblioth. S. Basilii Codd. signati XXII. XXXXI. CXIX. CLXIII. Ex Biblioth. Augustin. Cod. Evangelii majoris formæ a Montfauconio inter Passioneos pag. 290. *Pal*, & p. 292. specim. 111. character. Sæc. VI. commemoratus; etsi (quod ingenue fatemur) folia quaternionis, λ, indicent historiam de adultera fuisse *secundis curis* ab eodem ipso Codicis scriptore, re melius considerata exaratam, quum eam fortasse in alio quaternione antea omisisset. Ex Bibliotheca Cl. Præsulis nostri (modo vero doctrinæ amplitudine, atque delectu, multisque aliis nomibus Eminentissimi Cardinalis) Borgiæ Codices duo, alter Evang. Sæc. XI. alter lection. Sæc. XIV. vel XV. Venetis rursus Venetos opponimus Evangeli uncialibus characteribus scriptum ex cimeliis cl. Equitis nanii &c. Τπ϶ϑεσις deinde sex ad trutinam revocat; Grotii nimirum, Jansenii Gandav. Ægidii nostri, sive alterius cujuspiam veteris auctoris quæst. in Joan. ad cap. illius Evangelii VIII. Richardi Simonii in Dissertat. crit. de M. SS. N. T. Eorum, qui pericopes ex Evang. Joan. abrasæ auctores statuunt *Novatianos*. Postremam demum ex lib. 11. SS. Doctoris Augustini de adulterinis conjugiis ad Pollentium excerptam. Quæ in illis improbanda sunt, improbat, ac refellit non erudite minus, quam solide, quæ vero recipienda, retinet, & illustrat. Causam subinde profert omnium potissimam omissionis pericopæ nostræ in privatis quibusdam publicisque Codicibus, metum nempe, quo descriptores erant perculsi, incurrendi nimirum offensionem imperialium, municipaliumque legum, quæ adversus adulteros ubique fere gentium latæ fuerant. Et sane „ Cæsar Augustus legem tulerat *Juliam*: De Adult. quæ permittit patri, ut quemlibet deprehensum in adulterio cum filia mactet, & marito, ut adulterum vilem necet . . . In Epheso judicia publica in adulteros institui consuevisse colligi potest ex Eroticis Achillis Tatii Alexandrini ab eo certe editis antequam Christianam religionem amplecteretur . . . In Ægypto Philonis ævo poena procul dubio capitalis, eaque publica inferebatur Adulteris . . Nam adulterii crimen in Ægypto frequentissimum erat. Unde illa Achillis Tatii exclamatio: *O Ægyptium, & Jonicum adulterium*. De hoc enormi crimine inter Byzantinos, aliasque gentes grassante nihil est, cur plura moneam. Cujus monumentum est maximum, & sempiternum lex a Magno Constantino sive edita, sive, quod verius existimo, renovata de poena capitali in adulteros interminata . . . Pone in Epheso secundo, vel tertio Ecclesiæ sæculo librarium qui territus publica judiciorum forma, &, severitate in puniendis damnandisque adulteris metueret, ne ex mirabili illa indulgentia, & pietate Christi in adultera absol-

ven-

XLVIII. Egressus Christus Dominus Jerosolymis Judaeam peragrat, perque eam mittit septuaginta duos discipulos, quos a missione reversos divinitus erudit, ac Patri gratias agit. Deinde Scribam arrogantiorem, quis ejus sit proximus instruit Samaritani exemplo. Paulo post in Bethania hospitio a Marta excipitur, sicut apud Lucam cap. X. legitur. Ad prandium vocatus a Pharisaeo, carpit Pharisaeorum vitia & minax multiplex *Vae* adversus illos pronuntiat. Inter caetera Pharisaeis exprobat, quod rei forent sanguinis Prophetarum olim occisorum, quatenus patratis a patribus eorum facinoribus consentiebant, illosque erant imitaturi, discipulos ejus occidendo: *Ut requiratur*, inquit Christus, Lucae Cap. XI. V. 51. *sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae qui periit inter altare & aedem*. Matthaeus vero sic habet Cap. XXIII. V. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum, & altare*. Quis iste fuerit Zacharias interpretes sibi invicem adversantes decernunt. Tres Hieronymus in Cap. XXIII. Matthaei laudat sententias, quae circa illud temporis circumferebantur. Altera accedit, eorum nempe, qui putant in Evangelio de illa agi historia, quam narrat Josephus lib. V. de Bello

venda, religionis nostrae hostes occasionem arriperent traducendi Christianos tamquam publicorum judiciorum in adulterii crimine eversores. Fac & præconcepto metui accessisse variarum suspicionum æstum de confusa veritate historiæ cum traditionibus Papiæ, & incertis Hebraici Nazaraeorum Evangelii enarrationibus; unde scriba ille Ephesinus paullo in fide (ut cum Augustino loquar) timidior, & humanae prudentiae consiliis seductus hanc historiam in suo, quod describebat, Evangelii Joannis exemplari omittere primum coeperit. Quid inde? Nil eo certe credibilius accidere potuit, quam ut hoc unum apographum Ephesi in Urbe, & sede ipsa Apost. Joan. elaboratum, magnam sibi conciliaret auctoritatem praesertim apud exteros, ad quos forte fortuna pervenisset. „ Ex his aliisque causam subinfert tot *variantium*, quae in undecim prioribus versiculis cap. VIII. Joan. occurrunt, suspicionem nimirum, quae de pericopae illius authentia, criticorum librariorum animis insederat, qua factum, ne ea, qua par erat, religione primaevam sacri textus integritatem servare curarint.

Nunc vero, si fortasse cupis (prosequitur accuratissimus Georgi) ex his quoque tabulis nostris quaedam istarum variantium exempla, quae nobis suppeditarunt Codd. a Wetstenio non visi, accipe Syllogen.

I. Ex Cod. *primo*, sive ex Evangeliar. Borgiano Saaec. XI. Vers. 3. Ἐπὶ μοιχείᾳ κατεληφθεῖσαν V. 4. Λέγουσιν αὐτῷ πειράζοντες... κατειλήφθη. V. 6. ex incuria amanuensium omittitur ἔγραφεν ... & in fine V. additum legitur μὴ προσποιούμενος. V. 7. Πρῶτον pro πρῶτος ἐπ' αὐτὴν λιθοβαλέτω. V. 9. vitio librarii desideratur ἕως τῶν ἐσχάτων ... ὄντα pro ἑστῶσα V. 11. deest αὐτῇ.

II. Ex Codice 11. Borgiano ejusdem, aut sequen. Saec. complectente lectiones, Evangel. per annum distributas in die *S. Pelagiae* Ἐκ τοῦ κατὰ Ἰω. V. 3. ἄγουσι omisso πρὸς, legit tantummodo τὸν Ἰησοῦν ἐπὶ μοιχείᾳ κατειλημμένην. 4. ... Κατείληπται ἐπ' αὐτοφώρῳ μοιχευομένη. 5. Καὶ ἐν τῷ νόμῳ ἡμῶν ... λιθάζειν. 6 τοῦτο δὲ εἶπον ἐκπειράζοντες ... κατηγορεῖν αὐτοῦ. Variantes alias indefessus Scriptor addit cum ex hoc Borgiano Codice, tum ex Codd. majori, & minori Angelicae Bibliothecae &c.

lo Judaico cap. I. ubi scribit Zachariam quemdam virum probum, filium Baruch, quod idem ac Barachias sonat, fuisse paulo ante excidium Jesosolymitanum a Judaeis Zelotis in templo, idest in atrio occisum, cum a septuaginta judicibus unanimiter fuisset absolutus. Hanc vero historiam prophetice a Christo praenuntiatam laudato in loco contendunt. Omnibus vero eam praeponendam esse arbitramur, quae statuit Zachariam illum, quo de locutus est Christus, filium esse Jojadae (1) summi Pontificis, & Prophetae, qui lib. II. Paralipom. cap. XXIIII. V. 21. jussu Regis Joas lapidibus obrutus est in atrio domus Domini idest inter templum, & altare, ut Hieronymus, aliique Humiliastae fere omnes modo conveniunt.

XLIX. Encaeniis, seu festo dedicationis templi recurrente, orationem habet Christus Dominus in porticu Salomonis de incredulitate judaeorum, propter quam labidibus eum tentant impetere: Horum tamen furori se subtrahens trans Jordanem abit in eum locum, ubi Joannes Baptista initium dederat Baptismatis ministerio. Illuc permulti confluunt tum eum audiendi causa, tum etiam ut a morbis obtinerent rescipiscentiam. Ibidem Dominus disputavit cum Pharisaeis de matrimonii firmitate divortio, ac coelibatu, multaque alia divinitus edocuit, quae ut apud caeteros Evangelistas, sic Marci Cap. X. leguntur. Inter ea, quae heic Critici sibi demandant discutienda, illud tantum eligimus de adolescente, qui Marci Cap. X. V. 17. ad Christum dicitur accessisse, inquirimusque, an idem sit cum Legisperito, quo de agit S. Lucas Cap. X. itaque susceptis, & benedictis parvulis, Marci Cap. X. V. 17. egressus est Dominus in viam, ubi procurrens quidam genu flexo rogabat eum: *Magister bone quid faciam, ut vitam aeternam percipiam?* Erat hic adolescens, ut patet ex Matth. Cap. XIX. V. 20. ubi de eodem legitur: *Dicit illi adolescens*. Simile quid interrogavit Dominum Legisperitus quidam Lucae X. V. 25. ubi dicitur: *Ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam ater-*

(1) Zacharias, qui memoratur a Christo Matth. XXIII. 35. occisus inter templum & altare, fuit filius Jojadæ, ut certum habetur ex II. Paralip. XXIV. 22. Quare vel Barachias irrepsit in hunc locum pro Jojada, ut indicat Hieronymus, referens ostendi Codices, qui Jojadem hic legunt: vel dicendum, quod idem etiam Hieronymus innuit, verisimiliter allegari posse, Jojadæ homini sancto suae merito justitiæ Barachiæ cognomen adhaesisse, quod ex Hebræo sonat *Benedictus Domini*. Multa sane sunt exempla, etiam in Scripturis binominum personarum; aut a cognomento quopiam aliquando designatarum a propria, & vulgo magis nota earum appellatione diverso. Sic Num. XXIV. 17. Seth pro Sem Ponitur; cui videlicet id nomen attributum sit, quod Sem inter filios Noe stirpis melioris, & magis Deo probatæ propagator fuerit, sicut Seth inter filios Adami &c. Ita Petrus Possinus in spicilegio Catenæ Græcorum Patrum p. 380.

aeternam poſſidebo? S. Gregorius Nazianzenus orat. XXVI. exiſtimavit eundem eſſe praefatum adoleſcentem, & illum Legiſperitum tentatorem. In eandem abiere ſententiam S. Cyrillus lib. 2. theſauri cap. I. S. Ambroſius in Caput XVIII. Lucae. Verum nobis iſti plane videntur diverſi. Sanctus enim Lucas agens de adoleſcente inquit: *Et interrogavit eum quidam princeps dicens*: Magiſter, bone, *quid faciens vitam aeternam poſſidebo*? At inveroſimile cenſemus Lucam eamdem hiſtoriam diverſis in locis bis enarrare & quidem occaſione prorſus diverſa: Ad haec Legis peritus tentandi cauſa acceſſit; adoleſcens vero, magna praeſtita reverentia, bonoque animo cupiens vitam aeternam ſibi comparare, ut patet ex eo, quod triſtis abierit, quoniam dixerat Chriſtus, ut, ſi vellet perfectus eſſe, omnia venderet, ac pauperibus diſtribueret.

L. In finibus Judaeae adhuc immorans Chriſtus Dominus nuntium de infirmitate Lazari accepit, quem cum ſciret vita functum in Bethaniam tendit, ibique eum quatriduanum a mortuis revocat. Propter hocce ſtupendum miraculum, cum multi in eum crederent, mors ejus a Pontificibus, & Judaeis decernitur. Jeſus vero abiit in civitatem Efrem juxta deſertum, ut Joannes inquit Cap. 11. Inſtante autem feſto Paſchali aſcendens Jeroſolymam mortem pro nobis guſtaturus, cum appropinquaret Jericho caecum ſanavit, aliaque perfecit a Matthaeo Cap. XX. Marco X. Luca XVIII. commemorata. Poſtea vero ante ſex dies Paſchae venit Bethaniam, caenavitque in domo Simonis Laeproſi, ubi Maria pretioſo unguento caput, & pedes Jeſu recumbentis perfudit, ut Matthaeus, & Marcus, ſed Joannes praeſertim Cap. XII. enarrat. Memorandam Lazari ſuſcitationem, aliaque modo expreſſa nonniſi exegetice ſolent interpretes exhibere. De eo potius velitantur, quod Evangeliſtae de caecis illuminatis perhibent; inquiruntque num hiſtoria iſthaec apud Matthaeum, Marcum, & Lucam eadem ſit, vel diverſa? Atque item, an unctio, qua de Joannis Cap. XII. eadem ſit, quam Matthaeus Cap. XXVI. & Marcus Cap. XIV. exponit? Variant profecto in hiſtoria illuminationis caecorum apud Evangeliſtas adiuncta. Narrant quidem Evangeliſtae tres Chriſtum Dominum, cum ex civitate Ephrem aſcenderet Jeroſolymam, duodecim diſcipulis aſſumptis, caecos prope Jericho ſedentes illuminaſſe. Aſt Matthaeus Cap. XX. V. 30. duos fuiſſe caecos tradit; Marcus vero Cap. X. V. 48. & Lucas Cap. XVIII. V. 35. unum tantum memorant. Item Marcus narrat caecum illum, quem curatum eſſe dicit, veſtem projeciſſe, ut ad Chriſtum proſiliret, quo de alii ſilent. Hinc Eutymius putat tres eſſe diverſas hiſtorias. Theophilactus, Maldonatus, a Lapide unam cen-

censent. Beda vero, Lyranus, & Barradius duas esse historias contendunt, ac caecum de quo Lucas illuminatum volunt, antequam Dominus intraret Jericho; duos vero alios de quibus loquuntur Matthaeus, & Marcus illuminatos putant, dum Jericho egrederetur. Nobis horum sententia apparet verosimilior, eique certe adhaesit S. P. Augustinus lib. 11. de Consen, Evangelist. cap. 65. scribens: „ Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio caeco intelligendus est par commemorare miraculum & ejusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Jericho, at isti . . . (Matthaeus, & Marcus) dum egrederetur ab Jericho . . . . Evangelistas in hoc sibi adversari, quod alius, cum appropinquaret Jericho, alii cum egrederetur ab Jericho, non sane hoc persuadet nisi eis, qui proclivius credi volunt mentiri Evangelium quam duo similia, similiterque miracula fecisse Jesum. „ Aliud vero de alia proposita controversia ferendum judicium. Unctionem qua de Joan. Cap. XII. eamdem esse, quam Matthaeus Cap. XXVI. & Marcus XIV. describunt, omnes quae conveniunt circumstantiae palam faciunt: Primo enim Evangelistae singuli narrant hanc unctionem in Bethania contigisse. Secundo fuisse unguentum pretiosum, Tertio Judam obmurmurasse, quod res tam pretiosa inutiliter perderetur. Quarto Christum de Maria dixisse, quod unctionem sepulturae ejus praevenerit. Quinto Judam Principes Sacerdotum eo ipso adiisse, ac Christum vendidisse. Sexto denique hanc unctionem paucis ante mortem Christi diebus fuisse peractam.

LI. Ascendens Christus Dominus Jerosolymam appropinquavit ad Bethphage, & Bethaniam prope montem Oliveti sitas, cumque ad montem pervenisset res disposuit, ad triumphalem ejus in Jerusalem ingressum. Hocce inter faustas populi acclamationes expleto, viaque ramis, vestimentisque strata urbem, ac templum ingreditur, ejicitque inde vendentes, & ementes. Paulo post iterum in templo Judaeos perstringit, Phariseorumque increpat vitia. Deinde perrexit in montem Oliveti, ubi sedens cum discipulis suis de templi, & urbis destructione disseruit, signaque dedit consumationis ejus non modo sed totius orbis. Fuse de hactenus exaratis, quae apud Evangelistas omnes prostant, interpretes, et Critici edisserunt. Nil vero heic nobis demandamus aliud quam praedictam a Christo Domino Matth. Cap. XXIV. consumationem, quidque per abominationem desolationis sit intelligendum? Petro, Jacobo, Joanni, & Andreae scitantibus de consumatione saeculi respondit Christus Dominus Matthaei V. 14. *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consumatio*. Haec por-

porro Christi verba S. Hieronymus, nonullique alii de consumatione saeculi accipiunt, ante quam praedicandum tandem erit omnibus gentibus Evangelium. S. vero Hilarius, cui malumus subscribere Can. XXV. in Matth. S. J. Chrysostomus, aliique verba illa etiam de consummatione, seu fine Reipublicae Judaicae interpretantur, idest de Jerosolymitano axcidio. Quid demum venit per *abominationem desolationis? Graece: τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως*: Matth. V. XXIV. V. 15. sic Christus loquitur: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat*: putarunt veterum nonnulli sermonem heic de Antichristi male factis institui. Verum S. P. Augustinus Episto. 80. probat ex S. Luca intelligi debere abominationem futuram ante Jerosolymitanum excidium: nam haec ita describit S. Lucas Cap. XXI V. 20. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquabit desolatio ejus*. Verba itaque Christi de abominatione desolationis ad tempora Antichristi haud opinamur referenda.

LII. Postquam prima Azymorum die Christus Dominus agnum Paschalem cum discipulis manducaverat, eorumque laverat pedes, iterum recumbens dixit fore, ut unus ex duodecim Apostolis eum traderet. Postea Eucharistiam instituens proditorem patefecit porrigendo ei bucellam intinctam. Haec Matthaeus cap. XXVI. Marcus XIV. Lucas XXII. & Joannes XIII. adnotant. Nihilominus Criticorum aliqui, quos inter viri perdocti Bernardus Lamyus, Tolnardus, & Calmetus existimarunt Christum Dominum anno vitae ejus postremo agnum Paschalem non manducasse, sed Eucharistiam dumtaxat instituisse. Tria heic ex adverso complectimur, videlicet primo Christum anno vitae ejus ultimo Paschalem agnum comedisse. Secundo Hebraeos Pascha manducare debuisse die mensis Nisan quartadecima exeunte. Tertio Christum Dominum eodem die, quo caeteri Judaei idipsum praestitisse. Primum docent Tridentini Patres Sess. XXII. cap. I. sic definientes: „ Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem.„ Praeterea nonne id ipsum clarissime patet ex Evangelio? Ita porro habet Matthaeus cap. XXIII. V. 17. *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes*: Ubi vis paremus tibi commedere Pascha? *At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt, sicut constituit illis Jesus & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat*

 cum

cum duodecim discipulis suis: Idem habet Marcus Cap. XIV. v. 12. et Lucas Cap. XXII. qui addit V. 15. Christum dixisse Apostolis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Quae adeo sunt aperta, ut mirum sit praefatos Chriticos in contrariam sententiam abiisse. Ad alterum mox descendentes illis adhaerescere non est animus, qui statuunt Hebraeos Pascha manducare debuisse die tertiadecima mensis Nisan exeunte ita, ut tota dies decima quarta inter commestionem agni, & diem festum Azymorum intercederet. Pro hac opinione nonnullos laudat Vasquez in 3. p. Disput. 172. eamque maluerunt ex nostris propugnare Aloysius Legionensis, Basilius Poncius in opusculo: *De agni typici, & veri legitimo tempore immolationis*. Verum inter caetera, quae nos ab eadem removent, illud magni quoque facimus, quod omnibus fere recentioribus haud videatur consentanea illis exodi verbis, queis Cap. XII. V. VI. tempus Agnum Paschalem comedendi hocce modo statuitur: *Et servabitis eum*, Agnum nempe Paschalem, *usque ad quartam decimam mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* (legunt Hebraei "inter duas vesperas) *& carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus*. Non est heic praetermittendum, loco *ad vesperam*, haberi inter duas vesperas in versione Samaritana, Syriaca, & Arabica T. I. Polyglo. pag. 274. Nil vero aliud est *inter duas vesperas*, quam vespertinum tempus diei XIII. & vesperam, unde exordium sumit dies XV. ut etiam Rab. KimKi, referente Buxtorfio in Lexico, aliique testantur. Ad haec Josephus lib. III. Antiquit. cap. X. num. 5. diserte scribit mactari Pascha in mense Xantico, qui Hebraeis est Nisan die XIV. secundum lunam, in ariete existente, & statim addit: *μέμπτη δὲ καὶ δεκάτη διαδέχεται τὴν τȣ̃ πάσχα ἡ τῶν Αζύμων ἑορτὴ ἑπτὰ ἡμέρας ȣ̃σα*: „ *Die tamen quinta decima Pascalem excipit azymorum festivitas, septem extans dierum*. „ Hoc vero aperta revinceretur falsitate, nisi immolatus fuisset agnus Luna XIV. Jure igitur cum Menochio, a Lapide, Lippomano contenditur Pascha Hebraeos immolare debuisse mensis Nisan die XIV. exeunte (1) Tertium jam attin-

(1) Sunt qui ab hac recedant sententia præsertim eo quod „ videatur inverisimile inter immolationem Phase, & exitum de Ægyto unam tantum noctem intercessisse. Superat enim, inquiunt, humanum captum intervallo diei quartæ decimæ Hebræos habitantes terra Gessen, ac regionem inferioris Ægypti vasa argentea, & aurea ab hominibus a se loco disjunctis accepisse comodato, tum congregatos Pascha pomeridiano tempore mactavisse, deinde singulos per familias distributos manducasse agnum coctum, & assum, nocte postea progrediente percussos primogenitos omnes, commotum Pharaonem clamore suorum vocasse ad se Mosem, & Aron

attingentes observare est plures ingenio etiam, atque etiam fuisse enixos, ut suaderent Christum non eodem die, ac Judaei reliqui Pascha manducasse. Putarunt aliqui Christum ad unum diem Pascha praevenisse & hoc quidem comedisse die XIV. a prima conjunctione lunae cum sole juxta legis praescriptum; Judaeos vero manducasse die sequenti, quae a prima lunae phasi dies erat decima quarta; Nam in horum sententia, quando dies XIV. a conjunctione in diem Jovis incideret, ac propterea dies veneris festum esset azymorum, tunc ad unum diem Pascha transferebatur, ne unum festum alteri immediate succederet, scilicet dies festum veneris, ac Sabbathi. Sed haec diu post Christum esse conficta ex haeresi patet quartodecimanorum, qui contra Romanam Apostolicam Ecclesiam semper Pascha celebrantem prima Dominica post lunam decimamquartam, sustinebant celebrandum illud esse cum Judaeis praecise luna XIV. in quamcumque diem incidisset, ut referunt Eusebius lib. 5. Histor. Eccles. cap. XXIII. S. Epiphanius hær. 10. S. P. August. lib. de hæresibus cap. XIX. pluresque alii. Non ergo quidquam tunc de ista festi translatione innotescebat. Systema aliud invexit Harduinus, scilicet, adveniente Pascha die veneris, tunc Galilæos hoc ipso die, Judæos vero sabbathi die celebrare illud debuisse. Hoc sane modo implexa quæque in hac controversia de ultimo Christi Paschate ita plana fiunt, & expedita, ut ne vel minimus scrupulus queat animo hærere. Nam ut ipse inquit, cum agnorum mactatio, quæ Pascha dicitur, gemina foret; tres priores Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas dum Christum dicunt prima Azymorum die misisse Petrum, & Joannem, ut pararent Pascha, de Paschate loquuntur Galilæorum, quod anno mortis Christi præcessit integra die Paschá Judaeorum. Quando vero S. Joannes cap. XIX. diem, qua mortuus est

 Chri-

Aron Memphim regiam urbem, sitam ad occiduam nili ripam, indulsisse Hebræis, ut abirent, rediisse Mosem cum fratre in terram Gessen, congregasse simul ingentem populum, & cum universa multitudine profectum de Ramesse, & ex tentoriis quinta decima die mensis Nisan. His eruditi viri reponunt tunc temporis Pharaonis regiam non fuisse Memphi, sed Tani, vel Taphni, urbe Ægipti inferioris ad nili ostium, nunc etiam *Vames* dicta, in in cujus viciniis Moysem mirabilia patrasse testatur David Ps LXXXII. 12. 43. israelitas vero jam antea petiisse vasa ab Ægiptiis, simul convenisse, & manducasse Pascha accinctos, & ad faciendum iter paratos, dum interim primogenitorum excidium excitavit ululatum, quo permotus Pharao largitus est filiis Israel facultatem abeundi. Non sinimur hæc in dubium vertere postquam legimus Exodi XII. Phase immolatum XIV *die ad vesperam*, *eadem die* eductos fuisse filios Israel de terra Ægypti, in hujus rei memoriam Pascha institutum, & Num. XXXIII. *quinta decima die* profectum populum de Ramesse. Opponere tam apertæ narrationi conjecturas, quæ si admittantur nec persistet sententia contraria, quoniam neque spatio intermediæ diei possunt illa omnia contingere, est soli tenebras offundere. Ita Joannes *Laurentius* Berti de Theolog. Discipl. lib. 32, cap. I. prop. I.

Christus appellat *Parasceven Paschæ*, illud designat Pascha, quod Judaei anno illo celebrarunt die sequenti post Pascha Galilaeorum. Attamen & hoc systema, quamquam ob ingenii aciem, quae in eo relucet commendandum, nullo satis valido nititur fundamento. Illud tandem heic esset conficiendum, an Eucharistia in postrema caena instituta una cum caeteris Apostolis data quoque fuerit Judae? Praeter quam quod ex Matth. cap. XXVI. V. 20. & Lucae XXII. V. 21. colligitur Judam Eucharistiam sumpsisse, id omnes veteres Ecclesiae Patres, Hilario dempto, docuerunt. Sufficiat S. P. Augustinum laudare, qui Tractat. 62. in Joannem, & in Psal. 10. inquit: „ Dominus traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei Eucharistiam . . . sicut caeteris Apostolis traderet. „

LIII. Antequam alia ad Jesu Christi Domini nostri passionem spectantia persequamur, duodecim postremorum versuum capitis sextidecimi Marci germanitatem, adversus Heterodoxos e re nostra ducimus vindicare. Quaedam interim liceat advertere. Sanctum Hieronymum dure admodum hisce de versiculis in epistola ad Hedibiam sensisse vehementer miratur Eminentisimus Baronius ad an. Ch. 34. num. 185. propterea quod S. Doctor in laudata epistola scribat „ Hujus quaestionis (nimirum conciliationis inter Evangelistas circa Christi resurrectionem) duplex est solutio: aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Graecis libris pene hoc capitulum in fine non habentibus etc. „ Haec sugillans Baronius habet loco relato „ Pro eo quod dicere debuisset, in Graecis codicibus Marci ultimum caput quibusdam auctum reperiri, illud ipsum in iis desiderari, dixisse. „ Asserit deinde Annalium Ecclesiae Scriptor clarissimus, certum esse Dei Ecclesiam adinstar Latinorum correxisse Graecorum exemplaria, atque adeo versiculos, quibus de agitur, esse genuinos. Illos demum reprehendens, qui Hieronymi authoritate freti aliter sunt opinati, concludit: „ Haec quidem omnia, si comperta, satisque explorata habuisset quidam ex recentioribus, nequaquam adeo temere in re tanta, catholico homine indignam tulisset sententiam, dicens ultimum Marci capitulum non esse solidae authoritatis ad fidem firmandam. „ An libratum fuerit de Sancto Hieronymo supra expositum judicium nolumus observare: De eo non ambigimus, quod Hieronymus rite versiculos distinxerit, de quibus in Epistola ad Hedibiam sermonem habet, ab additamentis illis in fine Evangelii Marci extantibus, quorum meminit lib. II. adversus Pelagianos. Advertendum est etiam juxta Euthymium Comm. in Caput XVI. Marci quosdam interpretes affirmasse Evangelium ejus in illis desiisse verbis ἐφοβοῦντο γάρ. De iis quippe scribit: φασὶ δέ τινες τῶν ἐξηγητῶν ἐνταῦθα συμπληροῦσθαι τὸ

τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον. τὰ δὲ ἐφ' ἑξῆς προσθήκην εἶναι μεταγενεστέραν. Observamus denique eos, qui testati sunt in veteribus codicibus Graecis versiculos illos haud desiderari non perpendisse, quod in pluribus M. SS. ad textum non pertinerent, quodque in aliis M. SS. adjectis ab amanuensibus notis fuerint distincti, quae omnia Hieronymi ad Hedibiam scribentis vindiciis suffragantur. Quamquam vero desiderantur in Codicibus omnibus, quos prae manibus Doctor maximus versaverat, absit praesertim post Concilii Tridentini sacrosanctas sanctiones de eorum germanitate, atque authoritate suspicio. Eosdem in lib. III. adversus haeres. cap. II. commemorat S. Irenaeus, eosdem ex majorum consuetudine publice Graeci legunt etiam hodierni, eosdem videre est in antiquioribus Latinae Vulgatae exemplaribus, immo & in Syriacis. Omittendum denique non est in Codice Vaticano reperiri, quem aedidit Petrus Possinus in lib., cui titulus: Catena Graecorum Patrum in Evangelium secundum Marcum (1). Prostant pariter in Codice Cantabrigiensi, & Alexandrino, quem nuper dono datum Angelicae Bibliothecae ab ejus vere liberali Sapientissimoque Praefecto, ipsi consuluimus.

LIV. Plura nunc essent enucleanda ex Evangelio monumenta, quae Christi Redemptoris obitum praecesserunt, quaeque uberi, & contentioso identidem stylo interpretes prosequuntur. Verum nonnulla tantum vacat delibare. Christus Dominus ab Juda osculo proditus, a Judaeis captus, eorumque Concilio jam condemnatus ad Annam primum atque hinc ad Caipham ductus, ex hujus domo ad Praetorium Pilati vinctus perducitur, quod videns Judas culpamque agnoscens, coram Principibus Sacerdotum se tradidisse fatetur sanguinem justum, projectisque argenteis in templo, *abiens laqueo se suspendit*. Quonam die Judas perhorrifico extimulatus scelere id praestiterit Critici non conveniunt. Hocce perpetrasse immane alterum facinus illo die mane, quo Christus Dominus traditus fuit Pontio Pilato verosimilius ex Evangelio Matthaei Cap. XXVII. V, 2. & sequentibus nobis videtur. Sic ibidem legere est: *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato presidi*, & V. 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset . . . retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum*. Hinc porro manifestum est Judam triginta argenteos retulisse, dum vidit Jesum Pontio Pilato traditum. Constat vero ex V. 4. & 5. Judam post Sacerdotum repulsam argenteos in templo proje-

(1) In hoc Codice duodecim postremi versiculi initium sic habent. Versi. 9. Ἀναστὰς δὲ. 10. Ἐκείνη πορευθεῖσα 11. Κἀκεῖνοι ἀκούσαντες. 12. Μετὰ δὲ. 13. Κἀκεῖνοι ἀπελθόντες. 14. Ὕστερον ἀνακειμένοις. 15. Καὶ εἶπεν. 16. Ὁ πιστεύσας. 17. Σημεῖα δὲ. 18. Ὄφεις ἀροῦσι. 19. Ὁ μὲν οὖν. 20. Ἐκεῖνοι δὲ.

Digitized by Google

jecisse, ac tunc desperabundum abiisse, ut se laqueo suspenderet. *Abiens laqueo se suspendit*, Denique S. P. Augustinus in Psal. 108. ad illa verba: ***Fiant dies ejus pauci***, inquit: Pauci fuerunt dies Apostolatus Judae, quoniam ante passionem Domini scelere ipsius, & morte consumpti sunt.,, Praetermittenda heic non est haud levis, quae Matth. Cap. XXVII. V. 9. occcurrit difficultas: Narrans Matthaeus Principes Sacerdotum noluisse argenteos ab Juda projectos in templo εἰς τὸν κορβανᾶν, mittere eo quod pretium esset sanguinis, e vestigio addit, quod ex illis emerint agrum in sepulturam peregrinorum, ac deinde: *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: Et dederunt eis in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*: Cum vero verba ista apud Jeremiam nusquam legantur, sed in Zachariae Cap. II. V. 12. putaverunt interpretes non pauci nomen Jeremiae in textum irrepsisse, praesertim cum in pluribus Graecis Codicibus non reperiatur. Hocce vero responsum S. P. Augustino non arridet, & non una data solutione in lib. III. de Cons Evangelist. hanc videtur caeteris praeponere:,, est & alia causa cur hoc nomen Jeremiae in testimonio Zachariae sit manere permissum, vel potius Sancti Spiritus auctoritate praeceptum sit. Est apud Hieremiam, quod emerit agrum a filio fratris sui, & dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii, quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis, verum tamem agri emptio non est apud Zachariam. Quod autem per Prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quo modo de Domino completum est, ut hoc esset pretium ejus, manifestum est: sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto, quod Hieremias dicit: hinc potuit mystice significari, ut non hic Zachariae nomen poneretur, qui dicit triginta argenteis, sed Hieremiae, qui dicit de agro empto, ut lecto Evangelio, atque invento nomine Hieremiae, lecto autem Hieremia, & non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen de agro empto, admoneatur lector utrumque conferre, & inde sensum enodare Prophetiae, quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino impletum est.,, Sic itaque S. P. Augustino adhaeremus, ut censeamus Matthaeum uni Prophetae tribuisse, quod ex duobus desumpserat.

LV. Christus Dominus a Pilato ferme invito, sed vexatione populi abrepto, morti adjudicatus ad montem Calvariae crucem humeris gestans adducitur, ibique duos inter latrones crucifigitur. Milites coram ipso vestimenta ejus partiuntur. Populus vero spectans, Pontifices, & latronum unus varia ei iniquissime exprobabant. Interim

rim dum haec fierent ab hora sexta, qua crucifigebatur, factae sunt tenebrae usque ad horam nonam, circa quam mortem subiit. Mox vero velum templi scissum est, terra magno, stupendoque motu concussa, & monumenta sunt reserata &c. quemadmodum apud Matthaeum cap. XXVII. legitur, aliosque Evangelistas. Ordine heic retrogrado, primo inquirimus, an milites super omnes Christi vestes sortem miserint? Deinde an uterque latro Christum blasphemaverit? Ac demum num tenebrae moriente Christo Domino factae in sola Palestina fuerint, vel potius super terram universam? Primam quaestionem sic dirimit & optime quidem S. P. Augustinus Tractat. 118. in Joan. ut super solam Christi Domini tunicam milites sortes miserint, caeteras autem vestes inter se partirentur: „ Sic locutus est Evangelista, ut de caeteris vestimentis nullam sortem missam esse videamus, sed de tunica, quam simul cum caeteris acceperunt, sed non similiter diviserunt. . . Apparet itaque in aliis vestibus aequales eos partes habuisse, ut sortire necesse non fuerit in illa vero non eos habere potuisse singulas partes, nisi scinderentur „ &c. Ad controversiam secundo loco propositam devenientes, observare juvat Graecos praesertim, Origenem, Chrysostomum, Theophilactum, Euthymium, atque ex Latinis Hilarium tradidisse utrumque latronen primo Christum blasphemasse, unum vero spectatis prodigiis Crucifixionis comitibus resipuisse. Probabilior eccontra apud nos audit sententia statuens, a Lapide teste, cum omnibus ferme Latinis, Hieronymo in cap. XXVII. Matth. Ambrosio lib. X. in Lucam, Gregorio Magno lib. XXVII. Moral. cap. XVI. & S. P. Augustino lib. III. de Consens. Evangel. unum ex latronibus tantum Christum blasphemasse. Iste porro Parens sanctissimus apparentem Evangelistas inter hacce de re dissonantiam relato nuper loco rescindit scribens, Matthaeum, & Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse. Sic & in Epistola ad Hebraeos legimus pluraliter dictum, clauserunt ora leonum cum solus Daniel significari intelligatur. & pluraliter dictum *secti sunt*, cum de solo Isaia tradatur &c. Tenebras denique, quod tertio loco positum est, moriente Christo Domino superinductas non in Palestina solum, bene vero super universam terram factas fuisse, eo vel maxime contendimus, quod idipsum perhibeant Evangelistae, neque ulla nos moveat peculiaris ratio ad impropriam in eorum verbis significationem expiscandam.

LVI. Difficilem iterum cogimur ingredi Chronographorum Provinciam, atque annum, diem, horamque figere, qua Christus Dominus sanctissimum emisit spiritum. Tot de anno emortuali Christi circum-

cumferuntur sententiae, quot de ejusdem baptismatis anno, qui cum alibi assignatus per nos fuerit, cohaerenter admittimus pro salute omnium hominum mortuum esse anno aetatis suae 33. inchoato, Imperii Augustaei Tiberii 15. Proconsularis vero Imperii 18. an. 29. Aerae Vulg. an. Juliano 74. U. C. 782. an. 1. Olymp. 202. Coss. Cajo Rubellio, et Cajo fusio Geminis. Et sane Christus, ut suo loco dictum fuit baptizatus est an. aetatis suae trigesimo ineunte. A baptismate vero usque ad mortem quater Pascha celebravit, ut fidem faciunt indubiam Evangelistae: reliquum est igitur vita fuisse functum an. 33. inchoato. Hunc profecto annum fuisse quintumdecimum imperii Augustaei Tiberii Cæsaris, Aeræ Vulg. 29. plurimi Ecclesiæ Patres tradidere: Sanctus prosper, teste Godefrido Henschenio, & Bollando in Diatriba præliminari ad mensem Aprilem, inquit,, Usitatiorem traditionem haberi Dominum nostrum decimo quinto anno Tiberii Caesaris, duobus Geminis Consulibus crucifixum.,, S. Hieronymus in cap. 9. Danielis de Julio Africano ait illum finem constituere hebdomadum 70. in morte Christi ad annum decimum quintum Tiberii Cæsaris. Sed reliquis praetermissis lubet Lactantium testem afferre lib. IV. de vera sapientia cap. x. inquientem: ,, Sub Herode Judæorum Tetrarcha anno decimo quinto Imperri Tiberii Cæsaris Christum cruci affixerunt. Jam vero ab anno ad diem mortis Christi procedentes VIII. Kalend. Aprilis fuisse cruci affixum veteres Ecclesiae Patres jure optimo docuerunt. Tertullianus in lib. adversus Judaeos de passione Christi cap. VIII. inquit: Quae passio hujus exterminii intra tempora LXX. hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Caesare Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino; mense Martio, temporibus Paschae die VIII. Kalendarum Aprilium. ,, Lactantius Firmianus lib. Institut. IV. cap. 10. ait: ,, Sub imperio Tiberii Caesaris anno quinto decimo, idest duobus Geminis Coss. ante diem septimum Kalendarum Aprilium Judaei Christum cruci affixerunt.,, S P. Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 54. haec habet: ,, Mortuus est ergo Christus duobus Geminis Goss. VIII. Kalend. Aprilis. ,, Idem repetit in IV. de Trinitat. num. 9. scribens: ,, Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus. ,, eademque repetit lib. LXXXIII. Quaest. qu. 56. Accedit Canon Paschalis Sancti Martyris Hyppoliti Portuensis ab anno D. 222. marmoreae tabulae insculptus; & in agro Verano repertus an. 1551. in quo legitur: H.KAL. ΑΠΡΕΙ ΠΑΘΟΣ ΧC. Servatur etiamnum in Vaticana Bibliotheca, cui post tot clarissimos doctissimosque viros pari jure, ac merito nunc praest exotica potissimum eruditione ornatissimus Joseph Canonicus Reggi. In tam ve-

vetusto monumento neque traditionis novitatem, neque inscitiam Scriptoris, neque literarum depravationem, certe non possumus suspicari. Qua demum hora Christus Salvator fuit cruci affixus? In hac definienda opus equidem, & labor. Sat est oculos in Evangelistas hacce super re conjicere, ut inde vel maxima in iis conciliandis se se prodat difficultas. Et sane Matthaeus cap. XXVII. V. 45. ait: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*. Marcus cap. XXV. *Erat autem hora tertia: Et crucifixerunt eum*. Lucas cap. XXIII. *Erat autem fere hora sexta*. Joannes demum cap XIX. *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce Rex vester*. Haec ad concordiam solent interpretes revocare ex Judaica diei in quatuor horas majores divisione, Primam nempe, Tertiam, Sextam, ac Nonam. Nos vero hac non reprobata sententia, consultius arbitramur duplicem cum S. P. Augustino distinguere crucifixionem, moralem scilicet, & realem. Moralem hora Tertia, cum nempe Judaei clamaveruut: *Tolle tolle: Crucifige eum*: realem hora quasi Sexta. Ita S. Doctor lib. III. de Consen. Evangelis. cap. 13. „ Quaeramus cur Marcus, cum commemorasset, quod crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus.. adjunxerit, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt*. Jam certe dixerat. *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus*. Sicut etiam, & cæteri attestantur, quod ex crucifixo vestimenta divisa sunt. Si ergo ejus rei gestae tempus voluit commemorare Marcus, sufficeret dicere, *Erat autem hora tertia*. Ut quid adjunxit, *Et crucifixerunt eum*? nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæsitum inveniretur: cum Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat, qua hora Dominus in ligno suspensus sit, unde posset hujus vel error corrigi, vel mendacium refutari? Sed quia sciebat a militibus suspensum Dominum, non a Judæis; sicut Joannes apertissime dicit, occulte ostendere voluit eos magis crucifixisse, qui clamaverunt, ut crucifigeretur, quam illos, qui ministerium principi suo secundum suum officium præbuerant.

LVII. Postquam mulieres, quæ cum Christo venerant de Galilaea, ut Lucas habet cap. XXIII. V. 55. viderunt monumentum, & quemadmodum positum in eo fuerat corpus Jesu, *revertentes paraverunt aromata, & unguenta, & sabbatho quidem siluerunt*. Eadem referens S. Marcus in fine cap. XV. sic habet: *Maria autem Magdalene, & Maria Jacobi aspiciebant, ubi poneretur. Et cum transisset sabbathum*, ita incipit cap. XVI. *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*: Ex his primo aspectu videtur consequi juxta Lucam mulieres aroma-

ta paraſſe ante ſabbathum, & juxta Marcum ſabbatho tranſacto factum id fuiſſe. Verum cum Lucas expreſſe non aſſerat mulieres ante ſabbathum emiſſe aromata, & unguenta, Marcus vero id ipſum ad tranſactum referat ſabbathum, ita conciliandos eſſe Evangeliſtas putamus, ut mulieres illas ſabbatho poſt ſolis occaſum, quando jam licebat ſervilibus operibus vacare, unguenta, & aromata ſibi comparaverint, ut poſtridie ad ſepulchrum venirent. Sed alter difficillimae ſolutionis heic occurrit nodus, quo nimirum praeciſe tempore mulieres ad ſepulchrum acceſſerint? Matthaeus cap. XXVIII, V. I. ita ſcribit: *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum*: Marcus cap. XVI. inquit: *Et valde mane una ſabbathorum, veniunt ad monumentum orto jam ſole*. Lucas cap. XIV. *Una ſabbathi valde diluculo veniunt ad monumentum*; Joannes vero cap. XX. *Una autem ſabbathi Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum*. . Ex tribus itaque Evangeliſtis poſterioribus habemus veniſſe mulieres una ſabbathi, ideſt prima ſabbathi, more Hebraeis uſitato, qui ſaepe numerum cardinalem ponunt pro numero ordinali, ut Genes. I. *factum eſt veſpere, & mane dies unus*, ideſt primus. Unde Matthaeus inquit: *In primo ſabbathi*; quod quidem ſonat prima die poſt ſabbathum. Quomodo veſpera ſabbathi dicatur luceſcere in prima ſabbathi variatim explicant interpretes. Communiter vero ſubſcribunt S. P. Auguſtino, qui *veſpere* nomine intelligit noctem, ita ut ſenſus ſit: Nocte ſabbathi jam deſinente, ac luceſcente, ſeu lucem accipiente die Dominica venit Maria Magdalenae, ut videre eſt in lib. de Conſen. Evangeliſtarum cap. XXIV. Cum vero aliae adhuc apparentes contradictiones circa mulieres ſepulchrum inviſentes apud Evangeliſtas occurrant, excerptas ex lib. III. de Conſ. Evangelis. animadverſiones quaſdam nemo crimini vertet ſubjeciſſe. Praeſuppoſito itaque Chriſti ſepulchro in petra exciſo, & quidem in ſpelunca, ſit prima. Chriſtus Dominus reſurrexit ad auroram. Et tunc terrae motus factus eſt magnus, & Angelus Domini deſcendit de Coelo, revolvitque lapidem ſepulchralem, poſt quae mulieres oriente jam aurora ad monumentum venerunt. II. Maria Magdalena venit ab initio cum aliis mulieribus, de quibus Evangeliſtae, ſed ſicuti Matthaeus duas tantum commemorat, ita & Joannes Magdalene unjus meminit, quia pluſquam reliquae Chriſtum dilexerat. III. Mulieres illae dum venerunt ad monumentum nullum viderunt Angelum, ſed monumento viſo aperto, & vacuo triſtes, ac attonitae putaverunt corpus Domini eſſe ablatum, adeoque Maria moerore confecta ſociis relictis, illiſque forte rogatis, ut ad ſepulchrum manerent,

rent, donec rediret, cucurrit ad Petrum, & Joannem nuntiatura; quod corpus Domini esset ablatum. IV. Petrus, & Joannes hoc audito, veniunt ad monumentum, illosque comitatur, aut sequitur Maria: sed cum nihil illi invenirent in sepulchro praeter linteamina &c. revertuntur domum. Maria vero manet juxta monumentum lugens, ut quaerat corpus, ubicumque possit invenire. V. Maria igitur prae magno amore impatiens redit in speluncam: inclinat se, & iterum introspicit in monumentum, videtque duos Angelos, qui petunt quare ploret: sed illa unice quaerendo intenta, non in ipsos, sed ubi corpus jacuerat, oculos figit: quare postquam respondit: *quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum*, conversa est retrorsum iterum in hortum, anxie quaerens corpus: Et ecce apparuit illi Dominus, quem primo intuitu putans mortuum esse, non cognovit. Unde ipsi Christo dicenti: *Mulier quid, ploras? Quem quaeris?* Respondet: *Domine si tu sustulisti eum: dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam*. Ad haec dicit illi Jesus: *Maria*, illo scilicet familiari, & dulci vocis sonitu, quo illam alloqui solebat: Tunc Maria eum agnoscit, prae gaudio vult pedes ejus amplecti, sed prohibetur, & mittitur, ut Apostolis nuntiet Resurrectionem. VI. Itaque Maria egressa est a monumento; „ Hoc est, ait S. P. Augustinus, ab illo loco, ubi erat horti spatium ante lapidem effossum, & cum illa alias, quas secundum Marcum invaserat tremor, & pavor. „ Mox vero Christus tam Magdalenae, quam caeteris mulieribus in via occurrit, & ait *Avete*. Illae tunc omnes simul ad Apostolos currunt referentes hoc laetum nuntium. *Vidimus Dominum, & haec dixit nobis*. Dixerat quidem Angelus mulieribus Dominum resurrexisse, sed Maria non videtur ista verba satis audivisse, vel saltem non intellexisse. Sic enim res gesta verosimiliter contigit. Dum Maria stabat foris plorans juxta monumentum, aliae mulieres illud ingressae sunt, videruntque duos Angelos sedentes, quorum unus ipsis dixit. *Nolite timere vos: Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis. Non est hic, surrexit enim, sicut dixit*, ut habent Matthaeus, & Marcus. Maria vero ad haec verba accurrit ad monumentum, *inclinavit se*, ut ait Joannes, *& prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos . . . Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Haec cum dixisset, conversa est retrorsum* in hortum, ubi tunc Dominum vidit. Cum igitur Maria Magdalena, quo tempore Angeli locuti sunt ad mulieres steterit foris plorans, non satis audita Angelorum verba percepit ob loci distantiam, cordisque amaritudinem. Non ergo mirum est dixisse *Tulerunt Dominum &c.* VIII.

K 2 Chri-

Christus apparuit Magdalenae postquam Petrus, & Joannes recesserant a monumento: unde dum Lucas primo narrat, quod mulieres Christum viderint, idque Apostolis nuntiaverint, atque deinde subdit, quod Petrus ad monumentum cucurrerit, rei gestae ordinem non servat, sed quod prius factum est narrat posterius. IX. Dum Dominus apparuit Magdalenae in horto non permisit se tangi volenti pedes ejus amplecti, sed misit eam ad Apostolos. Festinanter vero permisit in via a mulieribus tangi. X. Matthaeus & Marcus loquuntur de uno Angelo, quia ille & mulieribus fuit propior, & forsan pro duobus verba fecit, unde non negant fuisse duos. XI. Angeli primo sederunt, ut habent Matthaeus, Marcus, & Joannes: deinde vero steterunt, ut Lucas inquit, & nulla proinde est contradictio. Quot denique fuerint apparitiones Evangelicae, & quo ordine contigerint heic est cum S. P. Augustino lib. III. de Consens. Evangelis. advertendum. Illos hocce numerat ordine cap. XXII. „ Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas decies commemoratum, Dominum visum esse ab hominibus post Resurrectionem. Semel ad monumentum mulieribus. Iterum eisdem regredientibus a monumento in itinere. Tertio Petro. Quarto duobus euntibus iu castellum. Quinto pluribus in Jerusalem, ubi non erat Thomas. Sexto ubi eum vidit Thomas. Septimo ad mare Tiberiadis. Octavo in monte Galilaeae secundum Matthaeum. Nono quod dicit Marcus: *Novissime contendentibus*, quia jam non in terra, sed elevatum in nube, cum Coelum ascenderet, quod Marcus, & Lucas commemorant. „ Hisce quidem apparitionibus illa praemittenda fuisset, quae Deiparam Virginem spectat, qua de S. Ambrosius lib. III. de Virginit. sic fatur. Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit. „ Quoniam vero apparitio isthaec in Evangelio reticetur, quamquam perpetua Ecclesiae traditione sit innixa, inter Evangelicas non erat recensenda, quemadmodum nec illae, quae Jacobo, & Apostolo Paulo factae I. ad Corinth. cap. XV. V. 7. & 8. reperiuntur.

LVIII. Hactenus de amplissima, gravissimaqne re evangelica leviter quidem, ac brevisisme, sed nihilominus per summa veluti capita actum est. Id vero quamtumvis aegre feramus, non datur de reliquis Novi Testamenti libris pertentare. Pauca itaque tempori, adjunctisque aliis servientes erunt seligenda. Liber Apostolorum acta complectens non immerito ab Œcumenio Evangelium Spiritus Sancti fuit nuncupatus, quatenus praecipua, quae Spiritus Sanctus per Apostolos gessit in eo graphice describuntut. (1) Auctorem illius secun-

(1) Plura sub Apostolorum nomine acta primis Ecclesiæ saeculis partim quidem catholicorum quorumdam inadvertentia potissimum vero malis haereticorum artibus fue-

cundarium Sanctum fuisse Lucam Evangelistam nemini est ambigendum, atque ex ejusdem libri initio plane constat, quippe quod Auctor se eumdem esse declaret, qui prius historiam Evangelicam ad Theophilum scripserat. Graece fuisse exaratum facile inter Criticos convenit. De loco, & tempore, quo editum fuit testem damus Hieronymum lib. de Scriptorib. Ecclesiast. in Luc. „ cujus historia, inquit, usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, idest usque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum „ Quatuor libri hujus partes sunt praecipuae. Harum prima octo primis capitibus, Ecclesiae Novi Testamenti originem, & progressum inter Judaeos, & Samaritanos ordine narrat. Secunda a cap. IX. ad XVI. describit quantopere Ecclesia inter gentes fuerit dilatata. Tertia a cap. XVI. ad XX. diversas Pauli peregrinationes usque ad iter Jerosolymitanum recenset. Quarta denique ad finem, quanta tolerantia molestias, & aerumnas innumeras Paulus sustinuerit (1) jam vero coeptis paululum insistamus. Com-

fuere vulgata. Baronius ad an. Chr. 51. ita de actis sub nomine Barnabae loquitur. Quaedam Barnabae acta ab aliquo, ut apparet, nebulone scripta circumferuntur, & ab imperitis magno plausu accipiuntur. „ Tertullianus. & Hieronymus librum quemdam inscriptum: Itinera Pauli, & Theclæ improbarunt. „ Περιόδους (inquit S. iste Doctor lib. de Scriptor. Eccles. in Luc.) Pauli, & Teclae, & totam baptizati leonis fabulam inter apochryphas scripturas computamus. „ Ejusdem furfuris sunt libri, queis titulus itinera Petri, Joannis, Thomae, & itinerarium Apostolorum. Receptis ab universa Ecclesia actis opposuerunt Ebionitae acta alia ab ipsis conficta, & impietate prorsus respersa: ut ait Epiphanius haer. 30. num. 16. Πράξεις δὲ ἄλλας καλοῦσιν ἀποστόλων εἶναι, ἐν αἷς πολλὰ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν ἐμπλεα. Nil minus sancta Apostolorum acta fuerunt invisa Encratitis teste Eusebio H. E. lib. 4. cap. 29. itemque Manichaeis, de quibus ita Augustinus lib. de util. creden. cap. III. „ Si illos actus Apostolorum acciperent, in quibus evidenter adventus Spiritus Sancti praedicatur, non invenirent quomodo inmissum esse dicerent.

(1) Temporis intervallum ab anno Augusti 40., vel præcedenti usque ad quartum Neronis annum, quo Paulus vinctus Romam fuit deportatus integram Evangeliorum, & actuum Apostolicorum historiam cumprehendit. Hæc vero Romanorum Imperatorum, & Præsidum ab eis in Judæa constitutorum historiam involvit. Nonulla itaque de Imperatoribus usque ad secundum Vespasiani annum, quo Hierosolyma funditus fuit eversa, ac de Judææ Procuratoribus sunt subnotanda. Octavianus Augustus Romæ juxta Svetonium natus e Velitris oriundus Romanum tenebat Imperium. Velitris, Dione auctore; eoque imperante natus est Christus Dominus. Anno 45. Augusti Æra Christiana est incohanda. Regnavit annis fere 58.. vixitque 76. Octaviano Augusto successit Tiberius Cæsar e gente Claudia filius Tiberii Neronis, & Liviæ Drusillae. Augusteum Imperium indeptus est anno Æræ vulg. 14. cum tamen duobus fere ab hinc annis gauderet Imperio Proconsulari. Sub hoc Christus Dominus fuit cruci suffixus. Imperavit annis 23. ut tradunt Svetonius, Cornelius Tacitus, Eusebius in Chronico, & Orosius. Tertius Imperator fuit Cajus Caligula filius Germanici, & Agrippinæ. Hoc imperante egregie consuluit fidei Catholicæ S. Barnabas, & fidem amplexus est Centurio baptizatus a Petro. Fideles Antiochiæ denominari coeperunt Christiani. Juxta Svetonium imperavit annis tribus, mensibus decem, diebus octo. Clemens Alexandrinus lib. I. Stro-

Digitized by Google

Cormmemorat S. Lncas cap. I, Christi Domini a morte redivivi, post varias per 40. dies apparitiones Apostolis factas, ascensionem in Coelum illis videntibus, ac deinde ipsorum reditum in Jerusalem, expectantium adventum Spiritus Sancti, quo tempore medio Matthias electus est in Apostolum. Hujusce electionis modum introspicientes Critici ingenium acuunt, & torquent, ut Apostolos ab omni culpa immunes propugnent. Certum enim est, quod Apostoli, discretis duobus, Josepho nimirum, qui cognominatus est justus, et Matthia, ut alteruter Deo disponente locum, acciperet, ministerii,

Stromat. quatuor ei tribuit regni annos, itemque Sex. Aurelius. Succedit Claudius Cæsar frater Germanici, & filius Drusi, & Antoniae. A Claudio Herodes Agrippa adaucctns Iudaeae, & Samariae principatu in Ecclesiam saeviit, & Jacobum fratrem Joannis occidit gladio, ac Petrum carceri, unde ab Angelo fuit ereptus, mancipavit. Testibus Svetonio, Tacito, Sex. Aurelio, Clemente lib. I. Strom. Orosio, & Eutropio imperavit annis quatuordecim. Post Claudium imperium tenuit Nero e gente Domitia filius Domitii Ænobarbi, & Agrippinae. Circa annum imperii ejus secundum Paulus Romam venit, testantibus Hieronymo, & Eusebio, atque mansit per biennium. Liberatus tunc Paulus de ore leonis, ut ipse ait per decennium adhuc praedicationem perduxit. Iterum accusatus apud Neronem saeviente Christifidelium prima post Herodianam persecutione, conflata in eos Incendii Urbis, & exitiosæ superstitionis calunnia, martyrium subiit una cum Beato Petro Apostolorum Principe. Extincto Nerone, qui annis regnavit 14. Spatio unius anni tres electi fuerunt Imperatores, nempe Sergius Sulpicius Galba, Marcus Sylvius Otho, & Aulus Vitellius. His vero successive interfectis imperavit Vespasianus. Hujus anno Regni 2. a Tito filio ejus expugnata est Jerusalem Kalend. Septemb. pereuntibus in ejus obsidione Habraeis usque ad undecies centena millia, & 97. millia in captivitatem aducta sunt. Imperavit post Vespasianum ejus filius Titus, & postea Domitianus, ac Nerva Coccejus Narniensis, atque demum sub finem saeculi Ecclesiae primi M. Ulpius Trajanus Hispali natus. Sed jam veniendum ad eos qui Imperatorum nomine provinciam administrabant. Cum Archelaus Herodis filius ob male administratum Judaeae Regnum post decennium ab Imperatore Augusto revocatus fuisset, & Viennam Allobrogum deportatus, in provinciam Judaea fuit redacta, & illuc missus Praeses Syriae Cyrinus, de quo S. Lucas cap. II. mentionem faciens Census universi orbis ab Augusto praescripti, inquit: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: Cyrino Praefectus turmæ equitum Coponius aderat. Hic omnium primus totius Judaeae administrationem obtinuit. Post tres vero annos successorem habuit M. Ambivium. Suffectus huic est biennio transacto Annius Rufus, quo praeside, ut inquit Josephus, Octavianus Caesar fato functus est, cum regnasset annis fere 58. in quorum numero continentur anni 14. quibus M. Antonius Imperii ejus fuit socius, & particeps. Valerius Gratus successit, cui post annos II substitutus est Pontius Pilatus, qui decem annis in sua provincia exactis ad Urbem Vitellio obbediens iter suscepit. Marcellus tunc Judaeae Procurationem suscepit. Post annum locum ejus occupavit Marcellus Praeses Judaeae. & Petronius Syriae, Cuspius Fadius administravit inde Judaeam, Syriam vero Marsus, ac Cassius Longinus. Cuspio Fadio datus est successor Tiberius Alexander, & huic subrogatus est Cumanus, qui fuit exilio multatus. Post biennium expletum, fuit Judaeae Praeses Claudius Felix, ac absoluto triennio Portius Festus, cui vita functo Nero successorem dedit Albinum. Missus deinde fuit post quinquennalem Albini administrationem Cestius Florus, adversus cujus improbitatem insurrexerunt armis Judaei: Qua de re furore percitus Nero Vespasianum e Britannia evocatum misit cum Tito filio ejus Hierosolymam, ut urbi, Templo, ac Judaicae genti excidium inferrent.

Digitized by Google

rii, de quo praevaricatus erat Judas ἔδωκαν κλήρȣς αὐτοῖς, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν. Vetant aliunde canones ecclesiastici sortes in ministrorum electionibus mittere. Arridet nonnullis sortes idem fuisse, ac secreta suffragia: Malunt alii nil praesetulisse aliud, quam signum quodpiam divinitus datum. Ex speciali privilegio sortes ab Apostolis fuisse missas inquit Venerabilis Beda. Apostolos prudentissime se gessisse in hac facti specie temperando sortem per electionem Josephi, ac Matthiae istorumque electionem per sortem cum S. P. Augustino ultro, citroque adprobamus.

LIX. Vix ac Apostoli Spiritum Sanctum accepere, statim variis linguis, ut habet Lucas Cap. II. ad diversarum nationum Judaeos & Proselytos loquebantur. An Spiritus Sanctus, quando apparuerunt dispertitae linguae tamquam ignis super solos Apostolos descenderit, quaeritur ab interpretibus. Non modo super Apostolos, verum super alios fideles descendisse, tenent Chrysostomus Œcumenius, Cyprianus, aliique: id porro ex cap. I. V. XIV. colligitur: Inquit enim S. Lucas *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus . . . . Erat autem turba hominum simul, fere centum viginti*. Postea vero nulla habita mentione de alicujus discessu pergit cap. II. V. I. Et cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν: in Alex. ὁμȣ̃ unanimiter, vel simul *in eodem loco, & factus est repente &c.* Dum ergo, inquit, *Erant omnes* de iis sermonem instituit, de quibus paulo ante mentionem habuerat, scilicet centum ac fere viginti. Petrus quoque ejusdem Cap. V. 17. & 18. hoc videtur confirmare dicens: *Tunc impletum est, quod praedixerat Joel: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae . . . Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt*. Huic sententiae dubio procul subscripsit S. P. Augustinus, qui Tractat. II. in Epist. Joannis inquit: „ Ubi incohat Ecclesia, nisi ubi venit de coelo Spiritus Sanctus, & implevit uno loco sedentes centum viginti? Duodenarius ille numerus decuplatus erat: Sedebant centum viginti homines, & venit Spiritus Sanctus. „ Idem docent Chrysostomus, Œcumenius, Cyprianus aliique. Itane vero super singulos descendit Spiritus Sanctus, ut eadem gratiarum mensura singuli donarentur? Heic haeremus aliquantulum. Singulis divisisse, prout voluit, probabilius existimamus. Certum interim est Apostolis Spiritu Sancto repletis tot linguarum donum fuisse concessum, quot nationes erant, quibus Evangelium debebant annuntiare. Quamquam tamen Hebraice cum Hebraeis, Græce Græcis, latine cum latinis

Digitized by Google

tinis &c. Apostoli loquerentur, nihilominus die Pentecostes una videntur lingua locuti, & ab omnibus intellecti. Haec quidem sententia, quo ad concionem illam, quam habuit Sanctus Petrus ad omnes illos, quos allocutus est diversae Linguæ Judæos videtur adprobanda; Secus enim toties illam protulisse dicendus foret, quot illic diversæ linguæ intererant auditores.

LX. Cum Petrus, & Joannes, sicut Cap. IV. legitur, in templum ascendentes ad horam orationis nonam, claudum a matris utero sanassent in nomine Jesu, populumque docerent resurrectionem annuntiantes, in illos manibus injectis in custodia reclusere. Coram magno Judaeorum Concilio curationis causam, ac modum dicere sunt coacti: Verum non invenientes quomodo de benefacto illos plecterent, dimiserunt. Interim multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, atque inter alios *Joseph, qui cognominatus Barnabas, Levites Cyprius genere venditi agri pretium posuit ante pedes Apostolorum*. Hinc vero non sequitur omnes omnino fideles in Ecclesiae primordiis communem duxisse vitam, ut quidam autumarunt. Enim vero Estio recte advertente, multi erant per Christum conversi in universa Galilæa, & Judæa, qui cum Jerosolymis non morarentur, dici nequit, quod communitati fidelium, qui erant Jerosolymis, se adjunxerint. Non omnes itaque Christifideles, sed ii tantum, qui speciali quadam, potiorique ratione Christo se vellent devovere, communi vitæ erant addicti. Hanc quotquot eligebant ex corde puro, & fide non ficta, ut agerent, opus erat. Qua de re Ananias, & uxor ejus Saphira, de quibus cap. V. agri pretium fraudantes repentina morte divinitus fuerunt percussi. Num Petrus aliquomodo ad eorum mortem fuerit cooperatus, stulte, ut cum Hieronymo dicamus, inquireretur. Sic ipse contra Porphirium hocce obtrudentem loquitur: „ Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut stultus Porphirius calunniatur, sed Dei Judicium Spiritu Prophetico annunciat. „ Petrus itaque ne tamquam Dei minister quidem eorum obitus causa fuit. Unde & doctor Angelicus 2. 2. q. 64. art. 4. ad 1. inquit, „ Petrus non propria auctoritate, vel manu Ananiam, & Saphiram interfecit, sed magis divinam sententiam de eorum morte promulgavit.

LXI. Crescente in dies, quemadmodum videre est cap. VI. credentium numero, ad sedandum murmur Græcorum, septem ordinantur Diaconi non mensarum tantum, viduarumque ministri: ut perperam nonnulli sunt opinati, sed insuper sacro Diaconatus Ordine insigniti. Inter hos S. Stephanus eminebat a Judaeis, quos convincerat, tamquam blasphemus, legisque transgressor accusatus. Hic ve-

vero, ut omnem sibi impactam criminationem amoveat, docte, ac fuse concionatur in Concilio, ut Lucas habet Cap. VII. alteque exordium sumens historias refricat Abrahæ, Jsaac, Jacob, Moysis, & Prophetarum, qui Christum praenuntiarunt: His priscos Judaeos restitisse multosque eorum occidisse, atque similiter per illud temporis Prophetarum posteros, scilicet Christi discipulos persequi, libere proclamat. Qua de causa stridentes, ac furore perciti eum rapiunt, & lapidibus obruunt. Quonam anno id sceleris fuit perpetratum dissidium est inter Criticos non spernendum. Contendunt plerique S. Stephanum illo mortis genere obiisse eodem, quo Christus anno, die vero Decembris XXV. Malunt alii, & quidem, ut censemus verosimilius, Stephanum lapidibus necatum integro ad minus post Christi mortem anno. Re sane vera septem Diaconos, non fuisse de gremio septuaginta discipulorum Christi, inde videtur colligi, quod isti ad Evangelii prædicationem a Christo Domino fuerint electi Praeterea inter illos adnumeratus fuit Nicolaus advena, seu Proselitus Antiochenus; Christus vero nonnisi Judaeos discreverat: Si Ita se res babeat merito, quod contendimus evincitur. Septem insuper Diaconi, quo tempore fuerunt promoti, jam *erant viri boni testimonii* pleni Spiritu Sancto, adeoque non amplius neophiti, idest noviter ad fidem conversi, sed in fide probati, quod esse nequit, quin aliquo notabili tempore in fide perstiterint. Ex his itaque videtur consequi Stephanum, non eodem quo Christus anno, sed sequenti potius Martyrium subiisse.

LXII. Stephano honorifice condito, magna saevit persecutio, Paulo Ecclesiam devastante, quomodo Cap. VIII. habetur. Fideles, qui Jerosolymis erant per regiones Judaeae, ac Samariae dispergun-tur praeter Apostolos: *πάντες δὲ διεσπάρησαν κατὰ τὰς χώρας τῆς Ἰουδαίας. καὶ Σαμαρείας πλὴν τῶν ἀποστόλων* Hinc Philippus convertit, & baptizat Samaritanos, quos deinde Petrus, & Joannes confirmant. Simon Magus ab eodem Philippo baptismum accipit.. Lucas enim inquit V. 13. *Simon, & ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo*. Quaerunt proinde interpretes, an ex animo, vel simulate Christi fidem fuerit amplexus? Re vera baptizatum fuisse, nequit ex dictis in dubium revocari, fidem vero simulasse ut particeps gratiæ miraculorum fieret, nil videtur minus ex contextu manifestum; hinc sane apparet Simonem nnice credidisse, ne a discipulis ejus majori ex parte jam Philippo addictis desereretur, atque ut potestatem variis linguis loquendi, & miracula perpetrandi obtineret, sicut videbat eam accepisse Philippum, ac fideles in baptismo: Aut saltem si aliquo modo fidem susceperit, quoad assen-

 sum

sum intellectus, non tamen id praestitit quoad voluntatis affectum. Hinc S. P. Augustinus in Psal. 130. ita scribit. „ Volebat Simon ambulare in mirabilibus super se: & ideo eum plus delectabat potentia Apostolorum, quam Justitia Christianorum. „ idem confirmat S. Hieronymus in cap. XVI. Ezech. per haec verba: Simon ille Magus, qui pecunia volebat redimere gratiam Dei, baptizatus quidem est in aqua, sed nequaquam baptizatus est in salutem „ Rationem, ob quam verum baptisma potuit habere, & fidem tantum fictam, aut sterilem, assignat S. P. Augustinus lib. III. de Baptis. cont. Donatistas cap. XVI. dicens. „ Cum ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit . . . Aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni (adulti) habere non possunt, sicut est finis praecepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. „

LXIII. At enim de Simone mago sermo occurrit. Quamvis extra rerum seriem, de quibus in actis Apostolicis, paulisper simus evagaturi, duo heic sunt ventitanda, nimirum, an Romae Simon magus statua fuerit donatus, & volatum pertentans Divo Petro ad Deum orante ad humum praeceps corruerit? Interim de ejus historia quaedam liceat advertere. Ortum habuit Simon magus Gittis, sive Gitton Samariae vico, & magicas professus artes, a quibus & fuit cognominatus: talem sibi apud Samaritanos conciliavit auctoritatem, ut *virtutem Dei*, illum appellitare non erubuerint. Cum vero Philippus, ut nuperrime innuebamus, Samariam Evangelica luce perfunderet, subdole baptisma accepit, spe nempe virtutem miraculorum consequendi. Hacce frustratus, de illa sibi pecuniarum ope comparanda cogitavit, cui Apostolorum Princeps S. Petrus spiritu indutus ex alto inquit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Impius itaque Simon ab Apostolis se rejectum videns larvam exuit, quamque mentiebatur fidem, aperte deseruit; Ut pestiferos ejus errores longe, lateque vulgaret ad Caput Urbium Romam petit, eo quod Apostolus, huc nondum pervenerat, ut inquit S. Joannes Chrisostomus. Eam porro apud Romanos illos sibi existimationem comparasse, ut numinis instar honore statuae donaretur (quae inter duos Tiberis pontes consisteret) asserit in apologia pro Christianis Justinus cujus haec sunt verba: *Σίμωνα ... ἐν τῇ πόλει ὑμῶν βασιλίδι Ῥώμη, θεὸς ἐνομίσθη, καὶ ἀνδριάντι Παρ' ὑμῶν ὡς θεὸς τετιμήται. ὃς ἀνδριὰς ἀνεγήρτη ἐν τῷ Τιβέρι ποταμῷ, μεταξὺ τῶν δυὸ γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαικὴν ταυτὴν, Σιμωνι δέω Σάγκτω* Statuae Simoni erectae meminere Irenaeus lib. 1. cont. haeres: cap. XX. Clemens Alexandr. lib. 11. Stromat. Tertullianus Apologet cap. XIII. aliique bene multi, quos inter

ter S. P. Augustinus lib. de Haeres. ad Quodvultdeum · Nihilo vero omi-aus recentiores quidam Critici Justinum allucinatum suspicantur, eo etiam ducti, quod in insula Tyberina, Gregorio XIII. S. P. ad Ecclesiae clavum sedente, effossus sit lapis cum sequenti inscriptione allatae parum absimili.

SEMONI SANGO DEO FIDIO
S A C R U M
SEX. POMPEJUS S. P. F.
COL. MUSSIANUS
QUINQUENNALIS. DECUR.
B I D E N T A L I S
DONUM DEDIT.

Praeter doctissimum Annalium Scriptorem Baronium viri percelebres Justinum ab omni erroris labe vindicarunt, eorumque rationum momenta validiora illis habemus, quae ex adverso veluti quadrato agmine stare praetenduntur. Quid vero de certamine a S. Petro Romae feliciter cum Simone inito, hujusque miserrimo exitu? Risu nos solent excipere hacce de re etherodoxi, qui Petrum nunquam Romae fuisse mentientes, fabulam esse ajunt, reportatam a S. Petro de Simone victoriam. Inter caeteros sic irrisorie scripsit Ovvenus.

An Petrus Romae fuerit sub judice lis est.
Simonem Romae nemo fuisse negat.

Sed cum acatohlicis nunc congredi nolumus. Agendum cum communionis nostrae Criticis est, qui etsi Religioni Jure optimo ducant de Romana Petri Cathedra, non modo nullatenus haesitare, verum etiam pro eadem quovis pretio contendere, tamen S. Petri cum Simone pugnam, ac ab illo partam de hoc victoriam in discrimen adducunt. Verum tot veteres, & fide dignissimi tantae rei testes possunt afferri, ut vel invitis valeant assensum extorquere. Primus sit Arnobius qui Diocletiano rerum Domino floruit, tertio labente Ecclesiae Saeculo. Is profecto, se, & Ecclesiam, cui recens nomen dederat, gentium irrisioni exposuisset, si in ejus adversus gentes doctissimis libris, fabulam pro historia venditasset. Excipit Arnobium Cyrillus, qui circa annum CCCL. Hierosolymorum Cathedram est indeptus: Sic enim habet Catechesi VI. τῆς ἐκκλησίας προστάται . . . *Praesules Ecclesiae*, Petrus nempe, & Paulus, τὸν νομιζόμενον θεὸν Σίμωνα νεκρὸν εὐθὺς ἀπέδειξαν: Simonem Deum habitum subita perculerunt morte. Et paulo post: Ἐξ ἀέρος ἐπὶ γῆν κατήγαγον τὸν νομιζόμενον θεὸν, μέλλοντα εἰς τὰ καταχθόνια κατάγεσθαι. Alios Ecclesiae Patres laudare non vacat. Sed Tillemontio firmiter adhaerentes fatemur, quod etiamsi vanum foret commentum: dummodo de ejus falsitate evidenter

non constaret, malle nos cum Arnobio Cyrillo, Ambrosio, Augustino; aliisque in errore versari, quam nobilissimos, gravissimosque Graecae, & Latinae Ecclesiae Magistros, & imprudentiae, & levis credulitatis nota insimulare. Rem cum saepe laudato Baronio ad an. Ch. 68. absolvimus. „ Cum sic tam Latinorum, quam Graecorum testimonio de lapsu Simonis testata habeatur historia, haud curandum nobis est, si in minimis quibusdam ab invicem discrepent: cum in re gesta omnes aeque consentiant. „

LXIV. At ad Apostolorum acta regrediendum. Narrat S. Lucas Cap. IX. admirabilem S. Pauli conversionem, qua de primum disceptare solent Critici, quo anno contigerit. Deinde an prope Damascum Christum oculis corporeis fuerit intuitus. Hanc de illa parum solliciti, cum Estio, Tirino, aliisque interpretibus affirmando resolvimus. Rem plane se ita habuisse ex verbis clarescit, quae V. 17. ei dixit Ananias. *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* &. V. 27. *Barnabas . . . illum duxit ad Apostolos, & narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei.* Paulus ipse se esse Christi Apostolum probat ex eo, quod ipsum viderit, I. ad Corint. cap. IX. V. I. dicens: *Non sum Apostolus; Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi.* Item cap. XV. ejusdem epistolae V. 8. inter illos se numerat, qui corporeis oculis post resurrectionem Christum viderunt dicens: *Novissime autem omnium, tamquam abortivo visus est mihi.* In hanc certo certius sententiam abiit S. Thomas 3. p. q. 57. art. 6. ad 3: scribens: „ Christus semel ascendens in Coelum adeptus est sibi, & nobis in perpetuum jus, & dignitatem mansionis caelestis. Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque ad terram corporaliter descendat, vel ut ostendat se omnibus, sicut in judicio, vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, ut habetur Actor. IX. Et ne quis credat hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter praesente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipse Apostolus dicat I. Corint. XV. ad confirmandum resurrectionis fidem: *Novissime omnium &c.* Quae quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo. „ Ejusdem sententiae sunt apud Tirinum S. Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. ult. Tertullia. lib. contra Praxeam cap. XV. aliique.

LXV. Summatim undecimum, ac duodecimum Lucae Capita expendenti haec liquet in illis esse praecipua. Cum Petrus accessisset ad Centurionem hominem incircumcisum, murmurant varii fideles ex circumcisione, quos S. Apostolus compescit. Barnabas mittitur Anthio-

Digitized by Google

thiochiam, qui brevi post etiam eo adducit Saulum. Agabus Propheta famem toti orbi imminentem praedicit. Herodes Agrippa Rex Judaeae a Cajo Caligula creatus occidit Jacobum fratrem Joannis Evangelistae. Deinde S. Petrnm in vincula coniicit, qui ex illis ab Angelo liberatur: Sed Herodes divinas sibi a populo attributas non respuens laudes, ab Angelo percussus, vermibusque consumptus exspirat. Ex quibus nil in controversiam vocamus aliud quam tempus, quo Petrus ab Herode carceri fuit mancipatus. Hoc vero cum relationem dicat ad annum, quo Romam advenit, etsi adventus ejusmodi in actis Apostolicis expresse non commemoretur, tamen ad trutinam heic etiam est revocandus. Sit interim primum. Juxta Eusebium lib. II. histor. Eccles. Petri incarceratio eodem contigit anno, quo fames ab Agabo praenuntiata; haec vero anno IV. Claudii Imp. Eusebio videtur figenda, Ærae nempe Vulg. 44., Si enim anno 42. incoepisset tribus durasset annis, quod inverosimile est, cum moraliter loquendo homines famis tempora nequeant tam diu sustinere, praesertim, quando sit universalis, qualis fuit ab Agabo praedicta futura *in universo orbe terrarum*, ut acto. II. V. 28. habetur. Verumtamen, etsi isthaec Eusebii sententia cum Patrum, & Ecelesiae traditione de temporis spatio, quo S: Petrus Romae Apostolicam tenuit sedem, valeat conciliari, illam potius eligimus Baronii, aliorumque plurimorum quae statuit, Petri incarcerationem anno Claudii 2. Aerae Vulg. 41. contigisse. Non modo in fame ab Agabo praedicta, quae sub Claudio per id temporis saeviit, ut ex act. cap. XI. & XII. constat, solidum habet postrema sententia fundamentum, verum etiam ex eo, quod S. Petrum post ejus eductionem Romam venisse, capit. XII. notatum videatur per haec verba. ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον. . Caeterum eodem, quem nuper innuimus Vulg. Aerae anno primitus Romam Petrum advenisse, & heic sedem Apostolicam collocasse habita traditionis ratione, ex ejus etiam morte potest confici. Haec enim ultra annum tertium decimum Imperii Neronis non potest protrahi; Concurrit vero annus iste cum anno Aerae Vulg. 68., a quo demptis 25. Petri ex Judaea prior disscessus Romam versus, ut hanc spiritaliter aedificaret anno Vulg. AE. 42. evincitur contigisse.

LXVI. At enim de adventu S. Petri ad urbem Romam adversus Criticos Catholicos egimus; cum eterodoxis manus sunt modo conferendae. Speciosum esse commentum iter, & moram D. Petri in Urbe, audacter scripsit, ut reliquos prætereamus Spanhemius in Dissertat. de temere credita Petri in urbem Rom. profect. & in compendii introduct. ad Hist. Ecclesiast. Novi Test. sæc. I. §. 5. num. 13. Tot eccontra ratum esse firmissimumque hocce factum testimonii,

niis, ut vix alia reperiri possit testatior historia, pronum esset demonstrare. Advocandus in primis foret S. Petri discipulus, & in Romana Cathedra successor S. Clemens, qui in Epist. ad Corinth. Romanae Ecclesiæ nomine data, post commemoratum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli martyrium, sic prosequitur: *τὔτοις τοῖς ἀνδράσιν θεῖος πολιτευσαμένοις συνηθροίσθη πολὺ πλῆτος ἐκλεκτῶν*. *Sancte vitam instituentibus viris istis*, Petro, sdilicet, & Paulo, *aggregata est magna electorum multitudo*. Occurreret deinde nobis Ignatius, qui Antiochena Sede diu retenta, vix a Petri obitu 50. annis elapsis, martyr occubuit Trajano Imperante. Ille porro In Epist Smyrnae ad Romanos data petere se inquit, ne a martyrio prohibeatur, non vero jubere, sicut Petrus, & Paulus solebant. *ὐχ ὡς Πέτρος, καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν*. Papias itidem Hieropolitanæ Ecclesiæ in Phrigia Episcopus, qui primo floruit Ecclesiae saeculo testis foret amplissimus. Eusebius enim, apud quem hujusce viri Apostolis synchroni, aliqua supersunt fragmenta, postquam Evangelii Marci Romae exarati testem dedit Clementem, tradit & Papiam id quo de agimus, fuisse testatum. Neque officit Eusebium eum appellare scriptorem, qui adamaverit *ξένας τέ τινὰς παραβολὰς τῦ σωτῆρος, καὶ διδασκαλίας αυτοῦ, καὶ τινὰ ἄλλα μυτυκώτερα*. Alibi enim ab eodem sic laudatur *ἀνὲρ τὰ πάντα ὅτι μάλλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς ειδήμον*. Sanctus quoque Irenaeus, qui Polycarpi Apostolorum discipuli fuit auditor, & Romam venit, quod contendimus, ita declarat, ut nihil magis. Accedat Dionysius Corinthiorum Episcopus secundo Ecclesiae saeculo clarus, qui in Epist. ad Rom. sermonem habens de Romanae Ecclesiae pietate, & magnificentia in eos, ad caeteras quascumque Ecclesias sublevandas, deque Epistola Clementis Romani, quam in Ecclesia Corinthiaca legere mos erat, verba faciens inquit apud Eusebium: *ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοσαύτης νυτεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρυ, καὶ Πάυλυ φυτείαν γεννηθεῖσαν Ρὀμαίον* &c. Praetereundi non sunt Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Petrus Alexandrinus, Cyprianus, quibus addendi essent Arnobius, Lactantius, Athanasius, Eusebius, Ambrosius, Hieronymus, S. P. Augustinus, Orosius, Optatus, Theodoretus, Epiphanius aliique sexcenti, vel ex eis etiam, qui Romanae Ecclesiae fuerunt infensissimi. Quid ad haec eterodoxi? Clementem, Ignatium, Papiam, cæterosque veteres Patres singulos in quibusdam clamitant deceptos. Quod quidem, etsi daretur, nonne intemperantioris Critices illatio erit, imo risu, vel miseratione dignissima, quod aliqua in re quispiam sit allucinatus, velle eum in cæteris etiam gravissimis, notissimisque deceptum? At, regerunt illi: neque S. Lucas in actis Apostol. neque Paulus in suis

Epist.

Epist. neque Flavius Josephus in lib. Antiquit. & de bello Judaico de Romana Petri Cathedra meminerunt. Si vero id argumenti genus firmitate polleat, omnis ferme humanae historiae fides concidat necesse erit.

LXVII. Jam vero paulisper abruptum rerum ordinem, quas S. Lucas narratione complectitur, nostrum est reassumere. Paulus, & Barnabas peculiari Spiritus Sancti jussu verbum Dei annuntiant iis locis, in quibus nondum erat promulgatum, videlicet in Cypro insula, in Pamphilia, in Pisidia, unde ejecti venerunt Iconium. Prostant haec Cap. VIII. Cum vero nil fere difficultatis patiantur ad quintum decimum Caput libentissime properamus. Suborta Antiochiae questione an gentiles ad fidem conversi deberent circumcidi & servare legem Moysis mittuntur Jerosolymam ad Apostolcs, & Presbiteros Paulus, & Barnabas, ad hujus solutionem quaestionis obtinendam. Celebratum hac occasione est primum Jerosolymitanum Concilium, in quo fuit definitum Legem haud esse miscendam Evangelio: Sed tamen statutum est, ut novi Christiani e gentilibus conversi ab idolothytis, sanguine, & suffocato abstinerent. Disputant Chronograhi, quandonam hocce concilium fuerit celebratum. Anno Aer. Vnlg. 50. habitum fuisse sic est conficere. Paulus ad Galat. cap. II. v. I. inquit *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba*: Hoc est post primum Jerosolymam iter tribus a conversione annis. Porro isthaec contigit anno Aer. Vulg. 33. atque adeo prima ejus profectio fuit an. 38. cui, si addantur 14. fiet praecise annus quinquagesimus. Neque huic detrahit sententiae communis Ecclesiae Patrum, & Historicorum traditio de Romana a Petro Cathedra sancte ad annos 25. retentat, scilicet ad annum usque Vulg. Aer. 65., quo martyrii palma fuit coronatus. Siquidem S. Petrus circa initium an. 42: Romam venit, ac Sedem fixit. Cum vero Judaeus esset, Claudio Imperatore Judaeos omnes Roma exulare cogente, & ipse discessit. Quod quidem contigit, teste Orosio, an. Aer. Vulg. 49. Potuit itaque Petrus esse Jerosolymis anno quinquagesimo, unde Romam iterum remeavit. Lubet ex Phoginio Exercit VI. pag. 117. finem facere. „ Venit (Petrus Romam) sub Claudio, & ab ea sub Claudio discessit. Sub Nerone iterum venit, sed neque tunc temporis ibi ita mansit, ut ab ejus moenibus numquam exiret. Apostolus erat; latius Christi lucem attulit: & tandem ubi Romam venit, quam forte saepius revisere consuevit, Nerone in Christianos saeviente, ab impio comprehensus Tyranno (vel saltem eius mandato) crucis supplicio affectus est.

LXVIII. Plura equidem Caput XVII. & sequentia disquisitione-

di

dignissima comprehendunt : Sed unnm duntaxat, & alterum compellimur enodare. Itaque Luca narrante, Paulus cum suis discedens Philippis petit Thessalonicam, ubi multos convertit; verum Judaeis eum persequentibus abit Beroeam, & inde Athenas, ubi occasione arae ignoto Deo dicatae, Deum hunc Christum esse demonstrans, plurimos ad ejus fidem convertit, & inter alios Dionysium Areopagitam. Cui porro ignoto Deo altare Athenienses erexerint, id unicum est, quod disquisitioni subiicimus. Capitis XVII. V. 22. sic legitur: *Stans autem Paulus in medio Areopagi ait. Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni, & aram, in qua scriptum erat*: IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. S. Hieronymus in Epistol. ad Titum inquit: „ Inscriptio arae non ita erat, ut Paulus asseruit, sed ita: *Diis Asiae*; *& Europæ*, *& Africæ*: *Diis ignotis*, *peregrinis*: Verum quia Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis, sed tantum uno ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in arae titulo praenotassent. „ Putant alii fuisse Athenis antiquam aram olim erectam ex consilio Epimenidis Philosophi, occasione pestis totam depopulantis civitatem. Eo tempore responsum dederat oraculum civitatem esse purificandam, ut pestis cessaret, atque hujus gratia Athenienses ex Creta Epimenidem Philosophum, seu potius Magum sex circiter ante Christnm evocarent annis. Ille cum venisset Athenas ad collem civitatis oves albas, & nigras adduxit prope Areopagum. Inde illas, ut currerent, quo vellent dimisit, jussitque observari, ubinam tandem manerent stantes, & in eodem stationis loco jussit singulas immolari *Deo loci vicinioris*, *vel Deo*, *cui competeret*: quo facto pestis evanuit. Hanc historiam narrat Laertsius Diogenes secundi desinentis saeculi scriptor lib. I. in Epimenide, & deinde subdit: „ In agris, & in pagis Atticis videntur erecta altaria sine nomine alicujus Dei in memoriam istius expiationis factae per Epimenidem. „ Volunt alii aram ignoto Deo erectam illam esse, qua de agunt Philostratus, & Lucianus, seu Auctor Dialogi Philopatris, qui ibi inquit, „ Cum venissemus Athenas. & illic invenissemus Deum incognitum, illum adoravimus, gratiasque rependimus, levatis in Coelum manibus. „ Apostolum Paulum nobis videtur agere non de illo ignoto Epimenidis Deo, bene vero de illo, cujus meminit Philostratus & Lucianus. Sed jam quaeritur quem Deum Athenienses per Deum ignotum intelligerent. Sanctius, a Lapide, Lorinus, Menochius Deum verum, qui colebatur tunc ab Judaeis intelexisse existimant: Paulus enim inquit: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. Probabi-

Digitized by Google

bilius vero apud nos audit Athenienses Deo vero aram erexiſse non quidem signate, & reflexe, sed tantum exercite.

LXIX. Athenis Corinthum pergit Paulus, ubi jussu Dei amplam messem promittentis praedicat anno integro cnm dimidio. Accusatus a Judaeis purgat se apud proconsulem, in cujus conspectu Sostenes Synagogae Princeps a furentibus quibusdam verberatur. Post haec Paulus peragrat Ephesum, Caesaream, Antiochiam, Galatiam, & Prygiam. Apollo a Priscilla & Aquila instructus, Ephesi, & in Achaja fidem Christi fortiter propugnat, promovetque. Quis fuerit ille Sosthenes, & a quibus percussus inter Criticos disceptatur. Sunt qui velint Sosthenem Principem Synagogae, quae erat Corinthi Crispum fuisse. Capite enim XVIII. V. 8. legitur, *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua*. Verumtamen Crispum fuisse alium a Sosthene verosimilius arbitramur. Paulus siquidem primam Epistolam ad Corinthios suo, & Sosthenis nomine scribit dicens Cap. I. V. I. *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei: & Sosthenes frater Ecclesiae Dei, quae est Corinthi.* Et V. 14. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum*. Ex his liquet Sosthenem unum esse, qui cum Paulo scribit & Crispum inter illos esse, ad quos scribit. Sunt itaque Crispus, & Sosthenes diversi. Cur ergo, inquiunt, Crispus Archisynagogus appellitatur? Multiplex hujusce denominationis ratio posset afferri: Exempli causa Corinthi duas fuisse Synagogas, vel Sosthenem fuisse a Judaeis, in Crispi locum suffectum, postquam fidem professus erat, vel demum in ista Synagoga plures fuisse Principes, non secus ac in Synagoga Antiochiae, Pisidiae, ut ex Cap. XIII: act. V. 15. colligitur. A quibus demum Sosthenes vapulavit? Judaeis hocce nobis videtur crimen adjudicandum, ut aperte innuit contextus, qui sic se habet: *Gallione autem: Proconsule Achajae insurrexerunt uno animo Judaei in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus..... Judex ego horum nolo esse: Et minavi eos a tribunali: Apprehendentes autem omnes Sosthenem Principem Synagogae, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curae erat.* (1)

(1) Dignissima, quæ subnotentur, Sanctus P. Augustinus, quem etiam sequutus S. Maximus, scripsit de Petro, & Paulo Serm. 3. in eorum Fest. „ Cum omnes beati Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Salvatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius Domini judicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clavem Regni Coelestis dedit; Paulo tamquam idoneo Doctori gentium, magisterium Ecclesfasticae institutionis injunxit, scilicet, ut quos iste

LXX. De Epistolis ab agiographis Scriptoribus exaratis nunc acturi principem deberemus locum Epistolæ Jesu Christi ad Abgarum Regem Edessenorum, quamquam in Canone non adsit, si exploratae nobis videretur auctoritatis. Celebritate virtutum, ac miraculorum Christi extra Judæorum fines resonante permotum Edessenorum Topharcham, ad eum Epistolam dedisse, ac vicissim Dominum ad eundem rescripsisse, cum veteres, tum recentiores contendunt Theologi non pauci. Earum apographum e Syriaco in Graecum idioma translatum profert lib. I. c. 13. Hist. Ecclesiast. Eusebius. Inter alios, qui Epistolae utriusque germanitatem propugnant recensendus primo est Jacobus Gretserus in lib. de imaginibus non manufactis cap. III. postmodum Tillemontius notat. VIII. in S. Thomam Apostolum, Serrius exercitat. 46. Honoratus Animadvers. Critic. lib. IV. Dissertat. 2. Cardeboschius de Scriptorib. Ecclesiast. Petrus Thomas Cacciari in notis ad Eusebium: Ex Achatolicis vero Centuriatores, Richard. Montacutius, Guilelmus Cave, Joannes Grabe, aliique. Utramque vero Epistolam spuriam habent, & quidem, ut opinamur, merito bene multi numero & auctoritate praestantissimi. Laudare est in primis Canum lib. XI. cap. 5. Dupinium initio Bibliothacae, Natal. Alexand. Gravesonium, S. R. E. C. Gotti & ex eterodoxis Casaubonum, Clericum, Basnagium, Cocum, Rivetum aliosque quamplurimos. Horum omnium profecto argumenta conjecturis quotquot afferunt adversarii videntur praevalere.

LXXI. Inter Epistolas Canone comprehensas recensendae nunc sunt quatuordecim conscriptae ab Apostolo Paulo, quarum decem ad integras Ecclesias, quatuor vero ad individuas personas fuerunt directae. Plura ante essent expendenda, quam de illis aliqua tandem ratione ageremus, nisi totidem ferme obstacula, eaque validissima prohiberent. Nihilo tamen minus, quibus de causis, quonam tempore, ordine, & locis Paulus easdem exaraverit, non est quod prorsus reticeamus. Quatuor itaque potissimum de causis id praestitisse animadvertimus. Primo ut illos in fide confirmaret, quos vel ipse, vel alii Apostoli per Evangelium Christo genuerant. Secundo, ut illos erudiret scriptis, quibus praesens Evangelium non poterat annuntiare. Tertio, ut prava dogmata, quibus Judaci, & haeretici imbuere fide-

erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem: ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna Coelorum. Clavem enim quodammodo a Christo scientiæ & Paulus accepit; Clavis enim, dicenda est, qua ad fidem pectorum dura reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecus tenetur clausum, in palam rationabili manifestatione producitur... Ergo Petrus, & Paulus eminent super universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt.

fideles conabantur, penitus convelleret. Quarto, & maxime, ut Ecclesiam usque ad consumationem saeculi caelesti sua doctrina illustraret, illamque per universas mundi nationes propagatam, quam viva voce non poterat, quovis tempore, & loco suis scriptis erudiret. Quanti intersit, ut ad alia statim deveniamus tempus agnoscere, quo in lucem singulae fuerunt editae Baronius admonet ad Christi an. 58. 42. scribens: „ Sed hic & illud breviter necessario monendm putamus lectorem; nonnullis accidisse, ut temporum ignoratione in maximos errores incidant. . . Quamobrem scrupulosa, quae videtur in historia temporum indagatio, quantum conferat ad veram atque germanam divinae scripturae interpretationem quisque facile judicabit. Haec Joannes Chrysostomus animo versans, & ipse quibus in locis, quandove Pauli Apostoli Epistolae fuerint scriptae inquirens in Praefat. Epist. ad Rom. ait: „ Proinde hunc laborem nemo extra rem, neve hanc indagationem supervacaneae curiositatis esse putet: confert enim nobis non parum ad quaestiones explicandas ipsum epistolarum tempus. „ Juverit itaque tempus, ordinem, loca queis datae sunt breviter subiicere, quamquam de aliquibus peculiari ratione deinceps sit pertractandum. Ante alias exarata fuit Epistola I. ad Thessalonicenses, & quidem Corinthi an. Vulg. Aer. 52. Sequitur ad Thessalonicenses altera scripta itidem Corinthi an. 53. Tertia venit ad Galatas scripta Ephesi an. 56. Deinde prima ad Corinthios Ephesi quoque data an. 57. Altera ad Corinthios edita fuit an. 58. postquam Paulus Troade in Macedoniam navigaverat, sed quo in loco satis, non constat. Epistola ad Romanos Cenchris prope Corinthum fuit exarata an. 58. sequuntur Epistolae ad Philippenses, ad Philemonem, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Hebraeos, quas Paulus Romae in primis vinculis adornavit ann. 62. Epistola ad Titum scripta fuit Philippis an. 65. Prima ad Timotheum pariter Philippis edita an. 65. Secunda tandem ad Timotheum Romae in secundis vinculis an. 66. fuit in lucem emissa. Alio in Bibliis ordine inveniuntur digestae. Primo loco posita est Epistola ad Romanos, & de hoc optima redditur ratio ex Romanae, Ecclesiae praestantia, & prae ceteris eminentia, cum aliarum omnium sit Magistra. At quare Epistola prima ad Corinthios secundo posita fuerit loco, & sic deinceps obvium non est definire.

LXXII. Unde, & quando Epistola a Romanos missa fuerit heic in controversiam posset vocari: Cum vero missam Chorintho liqueat ex cap. XVI. V. I. Siquidem ibi legitur Pheben Ministram, seu Diaconissam Ecclesiae, quae est in Cenchris, videlicet in porticu Corinthiaco eandem dirigendi, ac perferendi onus assumpsisse, cumque scriptam an. 58. jam supra fuerit indicatum, satis haec erit commemorasse

Parum quoque nos movet proemialis altera quaestio, nimirum, quanam fuerit lingua conscripta: Latina quippe editio iis Graecae linguae idiotismis scatet, ut ex testu Graeco ad litteram, & apicem expressam etiam, atque etiam suadeant. Ad scopum potius hujus Epistolae mentem, & stylum convertentes asserimus per hanc Paulum dissidia voluisse componere, quae Romae in absentia Petri inter fideles ex Judaeis, ac fideles ex gentilibus effervescebant. Judaei enim se principem habere locum in fide contendebant, ut majori praediti merito, ac propterea vera fide in Christum digniores, eo presertim nomine, quod Patriarchas & Prophetas haberent antecessores. Fideles ex gentilibus eccontra se esse ajebant praeferendos, ac potiori jure conversionem ad fidem meruisse, tum propter sapientum suorum doctrinam juxta quam egregias virtutes prudentiae, temperantiae, justitiae pietatis in patriam exercuerant, tum etiam quod Judaei ob eorum pertinaciam; ac saevitiem in Christum Dominum forent reprobati. Gliscenti huic malo, errorisque monstro pro munere, & zelo ejus vere Apostolico occurrens Paulus hac salutari Epistola, Judæorum, ac gentilium philautiam, & intumescentiam studuit retundere, eo potissimum ex capite, quod omnes ante Christi gratiam peccato fuerint obstricti, & divinae ultionis objecta.

LXXIII. Quæ in Epistola ad Romanos comprehenduntur uberrimam sane disquisitionibus multis segetem suppeditarent. At enim ad Theologicas exercitationes peculiari veluti jure videntur referenda, ab eorum propterea discussione abstinemus. Unum tantum ex cap. XI. eligimus, nimirum an omnes omnino Judæi in fine mundi sint convertendi, & salutem consequuturi. De hac porro conversione extant celeberrima in V. Testamento vaticinia. Oseæ cap. III. Legitur: *Filii Israel dies multos sedebunt sine lege, Sacrificio . . . Et post hæc revertentur. & quærent Dominum Deum suum, & David* (idest Christum) *Regem suum in novissimo Dierum*. Item Psal. 58. de Judæis dicitur: *Convertentur ad vesperam*, scilicet in fine mundi; ut notat in hunc locum S. Hieronymus. Isaiæ quoque cap. 59. idem ferme legitur: *Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob*. Quod Apostolus respiciens ita scribit cap. XI. V. 25. *Nolo vos ignorare fratres Mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas contigit ex parte in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Venient ex Sion qui &c.* Hocce Apostoli testimonium de Israele spirituali nonnulli sunt interpretati, quatenus ex Judæis, qui prius crediderunt, & ex gentibus, quæ postea ad fidem sunt conversae, facta est plenitudo totius Israelis ad salutem. Sed Apostolum de Israele secundum

dum carnem esse intelligendum melius alii propugnant. In horum censum recensendus est Basilius in psal. 32. Hilarius in Psalm. 58. ac Sanctus Hieronymus, qui licet in cap. 11. Isaiae aliter sentire visus fuerit, tamen in cap. III. Habacuc ad illa verba: *Ficus enim non florebit*, citans maledictionem ficus apud Matth. cap. XXI. *Non afferes fructum usque in saeculum* inquit: „ Diligenter considera quid dixerit: Non afferes fructum usque in saeculum: non ait usque in saecula saeculorum. Sed cum saeculum istud pertransierit, & intraverit plenitudo gentium, tunc etiam haec ficus afferet fructus suos, & omnis Israel salvabitur. Idem etiam docet S. P. Augustinus lib. EVIII. de Civit. Dei cap. XXI., & XXIX. Probabilior nihilominus eorum nobis videtur sententia, qui asserunt non omnes omnino Judaeos in fine mundi esse salvandos.

LXXIV. Ad calcem Epistolae primae ad Corinthios, in Graecis Codicibus sic legitur. *Πρὸς Κορινθίους πρωτη ἐγράφη ἀπὸ φιλίππου διὰ Στεφανᾶ καὶ Φουρτουνάτου, καὶ Ἀχαϊκοῦ, καὶ Τιμοθέου*: Hinc persuasum habent nonnulli Epistolam hanc Philippis, quae prima est Macedoniae civitas, fuisse exaratam; Malunt vero alii & quidem rectius Ephesi fuisse scriptam. Et sane cap. V. V. 18. inquit. *Salutant vos Ecclesiae Asiae*. Philippi vero non sunt in Asia, sed in Europa: Ephesus autem eccontra. Subdit ibidem Paulus: *Salutant vos in Domino multum Aquila, & Priscilla cum domestica sua Ecclesia*, apud quos *& hospitor &c.* Ast ex act. cap. XVIII. constat Paulum venisse Corintho Ephesum cum Aquila, & Priscilla, illosque ibi reliquisse, ac deinde sine mora discesisse Caesaream, & tandem Act. XIX. visitatis Ecclesiis rediisse Ephesum, ibique tribus mensibus & integro biennio mansisse. Ephesi itaque scriptam hanc fuisse Epistolam magna nititur probabilitate. Ad hæc, Corinthus Greciæ Metropolis in isthmo Peloponensi sita, luxu, libidine, Oratorum, Philosophorumque frequentia tum temporis celeberrima D. Paulum persesqui annum prædicantem magno fructu audiverat. Inde digressum Apostolum haud multo post Ephesi conveniunt Corinthiorum legati nuntiantes Ecclesiae schismata, & de variis eum dubiis consulentes, ut eamdem pervolutanti patescit. Ephesi itaque responsum dedisse merito propugnamus, & quidem Græco idiomate, anno vero Vulg. Ær. 57. Sed quid Epistola contineat breviter est perstringendum. Leniter se insinuans Paulus in animos Corinthiorum ipsorum laudem, & collata eis beneficia commemorat, & propter eorum multitudinem, ac praestantiam ipsis gratulatur: Ita tamen ut majora quotidie a Deo expectari debere palam faciat. Postmodum illos acriter reprehendit, qui propter inanem eloquentiam nimium

mium elati, sese aliis praeferebant, ostendens suo exemplo doctrinam Evangelicam non quaesito mundanae sapientiae apparatu, sed divino Spiritus Sancti fervore esse annuntiandam. Hoc argumentum prosequitur totis primis quatuor capitibus. Acerrime deinde in illos invehitur, qui erant consentientes incestuoso novercam suam pro uxore habenti, illumque etsi absens corpore, praesens autem spiritu satanae tradit, scilicet excomunicationis pœna in eum animadvertit. Fastum praeterea, & arrogantiam deprimit, ac saluberrima tradit recte vitae instituendae monita. Dubia tandem ipsi proposita de caelibatus matrimonio praecellentia, de licitis idolothitis escis, scandalo, & periculo infirmorum amoto, de velamine mulierum in Ecclesia, ac de resurrectione mortuorum feliciter resolvit.

LXXV. Optime Apostolus Cap. XV. ex Christi resurrectione mortuorum resurrectionem demonstraverat; pergit tamen eam hoc modo probare V. 19. *Quid faciant qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Variæ etiam apud antiquos Patres sunt hujus textus interpretationes, ita ut haud facile sit, quid Apostolus intelligat per baptismum pro mortuis, definire. Apud venerabilem S. R. E. C. Bellarminum lib. I. de purgat. cap. 6. Ambrosiaster, seu Auctor Commentarii sub nomine Sancti Ambrosii, Anselmus, & Tertullianus ita locum illum exponunt, ut Apostolus futuram resurrectionem probet ex quorundam errore, qui baptizabantur nomine amici sine baptismo defuncti, existimantes adinstar orationum, baptismum mortuis prodesse. Apostolus, ajunt illi, ex eorum principiis resurrectionem mortuorum demonstrat. Putant alii baptizari pro mortuis ex Apostolo nil esse aliud quam baptizari pro peccatis diluendis. Tertia interpretatio in eo sistit, quod baptismus pro mortuis commemoretur, quatenus in symbolo, quod recitant baptisma suscipientes, est articulus: *Carnis resurrectionem*: ita ut illud *pro mortuis* significet *spe resurrectionis*, Quarta expositio est, quod baptizari pro mortuis sit baptizari baptismo Christi, in quo per immersionem mortui, & per emersionem resurgentes rapresentamur. Alii aliter locum illum explanare coguntur. Illis vero adhærendum nobis esse existimamus, qui Apostolum verba facere inquiunt de baptismo metaphorico videlicet lacrymarum & poenitentiæ, quatenus bonis operibus animabus in purgatorio opem ferunt, ut citius a peccatis, vel poena peccatis debita relaxentur. Ad versiculum trigesimum secundum nunc gressum facientes, quomodo intelligendus sit, interpretes non conveniunt. Inquit ibi Apostolus: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Estius aliique multi volunt locum hunc metaphorice esse explanandum, adeo

ut

ut bestiarum loco veniant Judæi, & gentiles, qui brutorum more vitam ducebant, & Pauli doctrinæ resistebant. Origenes vero Theodoretus, Nicephorus aliique non pauci opinantur a sensu litterae non esse recedendum, propterea quod Paulus Ephesi fuerit objectus feris, horumque sententia nobis videtur verosimilior.

LXXVI. Propter tumultum Demetrii Argentarii, quo de Act. XX. V. I. Paulus Epheso expulsus ita instituebat iter, ut per Macedoniam iret Corinthum, sicut in priori Epistola cap. XVI. V. 5. promiserat. Venit autem Troadam urbem Phrigiae minoris, ubi Titum sperabat invenire. Spe vero frustratus trajecit in Macedoniam, tuncque Corintho ad eum venit Titus. Ab hoc edoctus de fructu primae Epistolae ad Corinthios, & pseudo-Apostolorum adversum se conatibus texit in secunda Epistola Apostolatus sui Apologiam, & modestum encomium. Inter alia a se divinitus accepta specialem revelationem sic Cap. XII. describit: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. De tempore, & modo praecellentis adeo revelationis, seu raptus agere solent Eruditi. Tempus juxta Chrysostomum Paulus voluit adnotare, ut significaret, se, qui tamdiu de re illa siluerat, ne tunc quidem, cum Epistolam hanc scribebat fuisse proditurum, nisi maxima ipsum necessitas commovisset. Tempus revelationis figunt nonnulli initio Imperii Neronis, sed in principio imperii Claudii verius nobis videtur statuendum, anno videlicet Aer. Vulg. 43. aut 44. Circa modum quo Apostolus ad tertium coelum raptus est dubium oritur, an simul cum corpore, vel sola anima raptus fuerit? Estio teste Ambrosiaster, Crysostomus, imo & Patres Concilii Ancyrani existimarunt Paulum, corpore in terra relicto, sola anima raptum fuisse. Re vera Ancyrani Patres, ut de aliis sileamus, maleficarum muliercularum errorem putantium, se cum suis corporibus multa terrarum spatia nocturno tempore peragrare, cum id tantum in phantasia per illusionem patiantur, refellunt hoc inter alia argumento, quod nec ipse Paulus audeat dicere se cum corpore raptum. Haec sane probabilior nobis videtur sententia, quod Paulus scilicet non secundum corpus, bene vero secundum animam tantum cum *abstractione a sensibus*, ut habet D. Thomas 2. 2. q. 175. usque ad tertium coelum fuerit elevatus.

LXXVII. Pauli Epistolam ad Galatas modo nobis perpendentibus, quamplura eaque magni sane momenti fore enodanda animadvertimus. Inter caetera illud primum occurreret, an Cephas ille qui a Paulo fuit reprehensus, Petrus esset Apostolus? 2. num Paulus sincere, vel simulate potius Petrum reprehenderit 3. Utrum Apostoli ficte legalia observaverint, ac demum quotuplici modo probet Paulus hominem ex operi-

ribus Legis Mosaycae non justificari. At enim de hisce fuse agere solent Thelologiae tractatores, prooemialem tantum quaestionem nobis demandamus, qua nimirum de causa Paulus ad Galatas scripserit? Quidam itaque Pseudo-Apostoli adhuc Judaizantes Paulo infensi Ecclesias perturbabant, quas ipse instituerat, dicentes Paulum non esse ferendum, neque ullam illi fidem adhibendam, utpote qui nunquam discipulus Christi fuerit, sed tantum Apostolorum, & quidem talis discipulus, qui eorum doctrinam nec intelligeret, nec fideliter referret. Illi enim videntes caeteros Apostolos legalia adhuc eis indulgere, imo quod cum ipsis agentes legem adhuc observarent, docente ex adverso Paulo legis observantiam esse prorsus irritam, & inutilem putabant doctrinam Pauli a doctrina Apostolorum longe abesse: atque adeo ajebant Paulum non esse audiendum. Suborto huic malo occurrens Apostolus hanc dedit ad Galatas Epistolam, ut seductos quosqne ad veram fidem revocaret. Hinc Augustinus in hujus Epistolae expositione scribit. „ Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas, haec est, ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub lege jam non sint. „

LXXVIII. Paucis ut plurimum se expediunt de Paulinis Epistolis ad Ephesios, ad Philippenses, Colossenses, & Tessalonicenses tractatores. Quid de singulis disceptationi subjiciamus nostrum est aperire. Epistolam ad Ephesios dedit Apostolus, ut illos in fide, & doctrina, quam acceperant, confirmaret, ac plenius de praecipuis fidei mysteriis, & sanctae vitae insituendae praeceptis erudiret. Patent isthaec luce meridiana clarius ex ipsa Epistola, neque solent in controversiam adduci. De loco, quo scripta fuit potius disceptatur. Romae datam fuisse omnes conveniunt, sed an in primis vel secundis vinculis lis est sub Judice. A Lapide, Calmet, & nonnulli alii scriptam putant, qnando Paulus primo vinctus fuit in carcere, & huic sententiae subscribimus. Ita profecto visum est Hieronymo qui in Epist. ad Philemonem inquit: Scribit igitur ad Philemonem Romae vinctus in carcere, quo tempore mihi videntur ad Philippenses, Colossenses & Ephesios Epistolae esse dictatae. De epistola ad Philippenses dubium olim fuit ob variantia Graeca exemplaria, an ad Ecelesiae tantum Pastores, & presbiteros fuerit directa, vel ad omnes omnino fideles Philippenses? Modo vero, cum Theodoreto poostremae huic sententiae jure ac merito interpretes adhaerent. Theodoretum vero cogimur deserere, ubi inquit Paulum Colossensibus Evangelium praedicasse. Scribit utique Apostolus cap. 11. V. 1. *Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, pro iis, qui sunt Laodiceae, & quicumque non viderunt faciem meam in carne*. Tantum vero abest, ut hinc probetur Paulum Collosensibus Evangelium annuntiasse, sicut Theodoretus contendit, quin potius contrarium eruatur

tur a Theodoreto pariter recedimus in eo, quod primam Epistolam ad Thessalonicenses scriptam velit Athenis. In lucem fuisse editam Corinthi inde evincitur, quod Paulus cap. III. v. 6. fidem faciat, non prius se hanc scripsisse Epistolam, quam post Timothei Thessalonica ad semetipsum reditum. Ait enim: *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem, & charitatem vestram* &c. Ast ex Act. Cap. XVIII. constat Timotheum, dum Thessalonica cum Sila reversus erat, Paulum Corinthi existentem convenisse: alteram quoque ad Thessalonicenses Epistolam Corinthi fuisse exaratam ex connexione argumenti cum prima, eisdemque personis in fronte Epistolae commemoratis, licet conjicere.

LXXIX. Utramque Pauli ad Timotheum Epistolam, itemque illam ad Titum (quisquis in Ecclesia Personam & characterem induit Pastoris) ante oculos constanter habere oporteret, monente S. P. Augustino lib. 2. De Doct. Christ. cap. XVI. „ Quas tres Apostolicas epistolas habere ante oculos debet, cui est in Ecclesia persona Doctoris imposita. „ Saluberrima Apostoli ad Timotheum ab eo constitutum Ephesiorum Archiepiscopum, monita, & pereximios de constituendis Episcopis, Presbiteris & Diaconis in prima Epistola Canones, heic non vacat complecti. Quo in loco descripta fuerit tantum inquirimus. Laodiciae in Phrigia eidem conscribendae operam dedisse, nonnulli existimant, propterea quod in Graecis Exemplaribus haec initio, vel ad calcem apposita inscriptio reperiatur. *Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς*. Nullam vero mereri fidem ejusmodi inscriptiones testatur Calmet, inde etiam motus, quod in pluribus Grecis M. SS. videre sit eam esse scriptam in Macedonia, ac praecise, ut opinamur, Philippis. Hac porro in urbe ad Titum quoque Epistolam exarasse videtur evinci ex eo quod cap. III. V. 12. legatur: *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*. Hinc merito colligitur tunc ad Titum scripsisse, cum jam paratus esset Philippis Nicopolim proficisci: Aliter se res habet de altera ad Timotheum Epistola. Hanc quippe e vinculis Romanis esse scriptam eruitur ex cap. 11. V. 9. omnesque interpretes assensum praebent. Verum an in primis, vel secundis vinculis scripta fuerit controvertitur. Augustino tamen in deliciis est adhaerere, qui illa cap. IV. V. 6. *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis &c.* Expendens inquit lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. „ Apostolum Paulum, quem certe invenimus sine ullis meritis bonis, imo cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum, reddentis bona pro malis: Videamus quid dicat sua jam propinquante passione scribens ad Timotheum; Ego enim jam immolor &c. Morti itaque proximus, atque

adeo in secundis vinculis ad Timotheum iterum Epistolam descripsit. Istam Epistolam ad Philemonem praecesserat, in primis enim vincu-ais, ut constat ex V. I. 9. 10. 13. & 22. in quibus vinculorum meminit, omnibus assentientibus, fuit exarata.

LXXX. Superest, ut de Epistola ad Hebraeos aliqua exhibeamus. Scripturam esse canonicam, ac Paulum habere auctorem id porro est, quod conficimus. Quondam utique an canonicis scripturis esset adnumeranda viguit dubium, ut Hieronymus asserit in Epist. 129. ad Dardanum. Etsi enim Ecclesia Graeca, ceu sacram illam agnosceret, nonnisi saeculo quinto Latina omnium mater, ac magistra de auctoritate ejus Canonica cum Graecis convenit. Dubium e cineribus excitavit postremis temporibus vir alioquin nil minus Catholicus, ac doctus Cajetanus. At certissime tenendum est Epistolam ad Hebraeos inter sacras, & Canonicas ab Ecclesia jure optimo fuisse receptam. Et sane quotquot extant, sive in Decretis Romanorum Pontificum, sive in scriptis Patrum Divinarum Scripturarum Cathalogi Epistolam hanc inter eas recensent. Id plane constat de Concilio Laodiceno ante S. Hieronymi tempora celebrato Can. ultimo, ex Carthaginensi III. Can. 47. Hujus autem Canonis auctoritatem refert S. P. Augustinus Ep. 236. Ex Concilio quoque Romano sub Gelasio I. Pontifice, Ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, & Tridentino Sess. 4. idem prorsus evincitur. Addere est Innocentium I. in Epistola 3. ad Exuperium, Athanasium in Synopsi scripturæ Sacrae, Gregorium Nazianzeuum in carmine de Sripturis authenticis, & Joannem Damascenum lib. 4. de fide cap. 18. qui omnes librorum Canonicorum Cathalogum texentes Epistolam ad Hebraeos eidem inseruerunt. Auctorem demum hujus Epistolae Paulum esse, fidem facit amplissimam S. Petrus: siquidem in secunda ejus ad Hebraeos Epistola inquit. Cap. III. *Hanc vobis charissimi secundam scribo Epistolam... Sicut, & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis*. Aliquam igitur dedit Paulus ad Hebraeos Epistolam, aliamque praeter hanc nequit assignari. (1)

LXXXI.

(1) De Petro. & Paulo apte, concinne, eleganter cecinit Venantius Poeta cum vetus tum Christifidelis.

Coelorum portæ, lati duo lumina mundi
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus:
Inter Apcstolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Per hunc corda hominum reserantur: at astra per illum;
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Coeli hic dogmate. clavibus alter:
Est via cui Paulus, Janua summa Petrus.

LXXXI Epistolas S. Pauli quatuordecim sequuntur Catholicae, sic nuncupatae, eo quod ad universitatem fidelium sint datae, quamvis secunda, & tertia Joannis ad privatas personas fuerint directae. Primum inter illas locum tenet Epistola S. Jacobi minoris cognomine fratris Domini Hierosolymae Episcopi, ob fidem e pinnaculo templi dejecti, & fuste fullonis occisi. In illa porro Graece scripta circa annum Christi 59. Christicolas ad veras hortatur virtutes, & contra Simonianos, eorumque asseclas docet fidem sine operibus mortuam esse. Sequitur prima B. Petri Apostolorum Principis ad fideles Asiae Babylone data, hoc est pro Catholica sententia, Romae. Scripta Graeco putatur idiomate, anno circiter 60. Christi, plenaque est Christianae vitae praeceptis. Altera venit B. Petri ad fideles Asiae paulo ante obitum Graece scripta, anno probabiliter 66. Hortatur in ea fideles ad constantiam in fide, & S. Pauli Epistolas commendat. Quarto numeratur loco prima S. Joannis Apostoli, & Evangelistae ad Parthos, vel potius omnes fideles Graece scripta, paulo ante ejus mortem, quae circa annum Christi 104. evenit; ac varia complectitur, fidei & morum documenta. Quinta ejusdem S. Auctoris ad matronam nomine Electam scripta fuit, eodemque, ut creditur, quo prior tempore: Nisi forte *Electae* nomen pro Ecclesia symbolice adhibeat. Tertiam quoque scripsit eodem circiter tempore ad Gajum, quem de recta fide piisque operibus laudat, atque ad constantiam adhortatur. Postremam S. Judas cognomento Thaddaeus ad universos Christi fideles tradidit, eos monens, ut a falsis Doctoribus caverent: Graece scripta perhibetur anno circiter Christi 66. Singularum nunc divinam auctoritatem libentissime vindicaremus. Sed cum literatisimo P. Augustino Antonio Georgi in opere ad miraculum ferme abditiori eruditione referto *De miraculis S. Colutbi* &c.. praeunte Dissertatione eruditissimi, ac Eminentissimi Stephani Card. Borgiae, unius tantum Jacobeae Epistolae vindicias agimus, quod quidem melius certe non possumus, quam Georgianum textum excribentes. Vir itaque summus sic habet pag. 347. sub titulo: *Excursus in consectaria quae* &c. Vide tu modo quanti pulcherrimum hoc Sancti *Pasneiu* testimonium fieri debeat ad ortodoxam Ecclesiae catholicae fidem confirmandam. Primum quidem de S. Jacobo Apostolo genuino illius Episto-

Hic petra firma manens, ille architectus habetur
Surgit in his templum cui placet ara Deo.
A facie hostili duo propugnacula præsunt
Quos fidei turres Urbs caput orbis habet.
Hi radiant oculi pretioso in corpore Christi,
Lumine qui proprio cætera membra regunt.

stolae, quae illius nomine inscribitur, auctore, tum de divina ipsius *αυθεντια* & auctoritate, . . Duo ante IV. Ecclesiae seculo commemorantur Patres Clemens Alexandr. & Origenes, qui epistolam S. Jacobi laudarint. At num germana sint Clementis commentaria in epistolas canonicas inter quas ea, quae S. Jacobi dicitur, numeratur, gravis suboritur dubitandi ratio. Unus est *Origenes*, qui ei divinae auctoritatis vim tribuat hom. XIII. in Genesim hujusque rei notitiam Beausobrius ipse, & Lenfantius, protestantium scriptores, Origenem accepisse putant a Palaestinis. Quum enim Apostolus Jacobus tamquam Hierosolymitanae Ecclesiae Episcopus ad Christianos ex Judaismo conversos, perque Palestinam omnem dispersos eam epistolam scripserit; ibique uti divinitus inspirata sacrorum librorum canonem sub initium seculi II. recepta fuerit, ea in Palaestina presertim, quemadmodum Beausobrius ipse, & Lenfantins Praef. in gallicam illius versionem coniiciunnt, perspecta erat; & in sacris conventibus lecta. At cur non in tota Aegypto, atque Thebaide eodem ipso Origenes aevo peraeque cognita, & culta fuerit? Certe quidem S. Diaconus *Panesniv*, qui tam praeclarum testimonium de hac S. Jacobi epistola in persecutione Diocletiani sub Culciano Praeside dedit, quicquid dignitatis, & laudis ei adscribit, non eodem die, sed multo ante, praecedenti scilicet sœculo III., quo ipse Origenes vixit ab Ecclesiis, quae in Thebaide, & Aegypto erant, acceperat. Nam & ab iis Magnus *Athanasius*, *&* *Isidorus* Pelusiota divinam illius auctoritatem didicerant. Propagata deinde per orientis omnis, & occidentis Ecclesias an. 365. vel 367. in Laodicena Synodo & Romae a Pont. Max. S. Innocentio I. in epist. ad Exup. & mox a Carthag. concilio an. 418. in censum Canonicorum librorum relata est.. Nam & Synodus Milevitana an. 416. eam adversus Pelagianos adtulerat: Et post S. Hilarii Pictav. Episcopi exemplum Ambrosius, Philastrius, Hieronymus, Augustinus, caeterique Patres vel ante ipsum Innocentianum Canonem, unanimi cousensione, uti divinam agnorant. Unus Eusebius est, qui lib. 2. H. E. cap. 23. postquam de epistola S. Jacobi scripserat: *ejus esse dicitur, quae prima est epistolarum Canonicarum*, continuo subdit: *ἰστέον δὲ ὡς νοθεύεται μεν*: *sciendum est eam quidem esse spuriam* Valesius in haec graeca verba mitiori alioquin sensu abs se translata mox observat, & ait: *Hunc locum Rufinus*, *&* *Christophorsonus ita verterunt*, *quasi hæc quorumdam esset opinio. Sed nunc re attentius perpensa aliter sentimus*, *Eusebium scilicet absolute* hanc Jacobi *epistolam spuriam pronunciare*. *Hieronymus* de Jacobo: *unam inquit epistolam scripsit*, *quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*. Verum ad cap. XXV. Lib. III. idem Va-

Digitized by Google

Valesius animadvertit, Eusebium *se ipsum emendasse* in cap. 31. ejusdem Lib. ubi libros *νόθους adulterinos*, *&* *apocryphos* ab *ἀντιλεγομένοις ambiguis*, qui proxime accedant ad genuinos & Canonicos perspicue dixtinxit; adeoque epistolam S. Jacobi ad ordinem *ἀντιλεγομένον* qui scilicet *secundus* est inter *primum*, ubi libri sunt sine ulla controversia *Canonici*, & inter *tertium*, ubi libri censentur procul dubio *spurii*. Atque ex his tandem colligit Eusebium cap. illo 23. lib. II. *adulterinam* appellasse per *ἀκυρολογίαν*, impropria admodum, & *abusiva* loquendi *ratione* . . . . Haec ego eo uno consilio ductus referre studui, ut quid novae lucis ad fidem hujus Jacobeae epistolae ex antiquissima Thebaicae Ecclesiae traditione oriatur, istius nostri fragmenti ope indicarem. Quod enim ad rem spectat totum hoc dogma tam multis; ac omnibus cognitis Romanorum Pontificum, & Generalium Conciliorum decretis firmatum est, ut nemo nisi errando de eo dubitare audeat. Id Protestantes ipsi, quamvis Romanae communionis nostrae hostes infensissimi, diserte fatentur . . . . De divina vero istius epistolae inspiratione tam apertum, & explicatum est S. Confessoris *Pavesniv* testimonium, ut nullius prorsus alieni sermonis expositione, opeque indigeat. Mire enim per se nitet splendetque. Audi verba: *Domine mi Jesu Christe Unigenite Patris*, *tu ex ore tuo dixisti servo tuo Jacobo Apostolo*. Quid iis clarius, ut ostendat ea, quae in epistola sua scribit *Apostolus*, ex ore esse, & spiritu ipsius Christi dictata?,,

LXXXII. Summam esse libri Apocalypsis dignitatem inter caeteros testatur S. Hieronymus Epist. ad Paulinum cap. 7. scribens:,, Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.,, Et in cap. 30. Isaiae Prophetae culpat Chiliastas haereticos, seu millenarios, quod errorem traxerint ex non intellecta Apocalipsis Joannis, quae in superficie litterae medullata continet Ecclesiæ sacramenta. Dionysius item Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. H. E. cap. 23. sic de Apocalypsi loquitur.,, Ego vero quantum ad meam sententiam pertinet, spernere aut abjicere Scripturam libri hujus nullatenus audeo . . . Sed hoc magis de eo judico, quod excedant, atque emineant, quae in eo scripta sunt, auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam, & reconditus, atque admirandus omnibus sensus, quem & ego admiror, ac veneror, etiamsi non intelligo. Et ita sentio, quod divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis non tam judicio meo discernens, quam fide credens, & ideo non reprobo, quae non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor. De hujusce libri divina aucto-

ctoritate nonnullos olim fuisse ancipites asserit Dionysius Alexandr. apud Eusebium lib. 7. H. E. cap. 23. „ Quidam Alexandrini Episcopi, inquit Eusebius, qui eum praecesserant, librum hunc neque Joannis Apostoli esse dicebant, neque inter Canonicos numerandum. „ Imo S. Hieronymus Epist. 129. Scribit Ecclesias Graecas Apocalypsim non recipere. Inter veteres haereticos Cerdon, & Marcion, ex recentioribus Lutherus, Brentius, & Kemnitius illam rejecere. Erasmus quoque in suis adnotationibus in Apocalypsim ejus videtur detrahere auctoritati. Sed certum & fidei dogma est Apocalypsim sacram esse, ac Canonicam Scripturam: Neque auctorem habere S. Joannem Apostolum, & Evangelistam sinunt ambigere & Conciliorum sanctiones, & veterum Ecclesiae Patrum definitae sententiae. Quandonam, & ubi scripta sit hinc, & illinc Critici digladiantur. Cum doctissimo Nicolao Serario, cui subscribimus, finem faciamus. Sic ille in libro, cui titulus modestissimus: *Opusculorum Theologicorum &c. Disputat. de duodecim Sanctis Domini nostri Jesu Christi Apostolis* num. LXXXIX. „ Scripsit autem (Joannes) primo Evangelium, post vero Apocalypsim, & Epistolas tres . . . Scripsit autem Ephesi Asianorum Episcoporum rogatu Evangelium contra Cerintum, Ebionem & alios Simonis Magi quasi successores . . . Apocalypsim vero in insula Pathmo, ad quam 14. Domittiani relegatus fuit. Quod enim in Synopsi Dorotheus eum in Pathmo Evangelium scripsisse memorat, vel memoriae lapsu, vel librariorum vitio mendosum est, vel certe ad authoris sententiam non apte, latine conversum, neque enim id exemplaria Graeca significant. Ex hac autem insula Ephesum reversus anno a nativitate Domini 160. a passione 68. Trajani tempore, cum annum 39. ipse ageret, e vita migravit, cum suis discipulis illud identidem inculcasset: *Filioli diligite alterutrum*. Uti D. Hieronymus refert.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX PROPOSITIONUM.

I. *Vetus Teſtamentum, non ſecus ac Novum Deum habuit auctorem.* p. 1. 2. n. I.

II. *Veteri Teſtamento Novum eſt excellentius.* p. 2. n. II.

III. *Quatuor tantum Evangelii Codices jure optimo Eccleſia adprobavit.* p. 3. n. III.

IV. *Viſo Ezechelis cap. I. & Joan. cap. Apocalyp. 4. ad quatuor Evangeliſtas merito refertur.* p. 4. 5. n. IV.

V. *Matthaeus omnium primus Evangelium conſcripſit.* p. 5. n. V.

VI. *Poſt Matthaeum, Marcus Evangelii conſcriptioni operam dedit.* p. 6. n. VI.

VII. *S. Lucas ordine tertius Evangelium exaravit.* p. 7. n. XII.

VIII. *Contum eſt S. Joannem omnium poſtremum Evangelium concinnaſſe.* p. 7. di n. VII.

IX. *Matthaei Evangelium eo ſermone fuit exaratum, qui erat familiaris, dum ſcriberet, Hebræis Hieroſolymæ degentibus* p. 8. n. X.

X. *Autographum Marci Evangelium Græce ſcriptum opinamur* p. 9. 10. n. IX.

XI. *S. Lucas Græco eloquio Evangelium adornavit.* p. 10. 11. n. X.

XII. *Idem de S. Joanne ferendum eſt judicium.* ibid.

XIII. *Evangelium ſecundum Matthæum Hieroſolymis primo fuit conſcriptum* p. 11. n. X.

XIV. *Evangelium ſecundum Marcum Romæ primitus fuit exaratum.* p. 11. 12. n. X.

XV. *Evangelium ſecundum Lucam in Achajæ Bœotiæque partibus conditum fuit.* p. 13. n. X.

VVI. *Evangelium ſecundum Joannem Epheſi Aſiæ in lucem prodiit.* ibid.

XVII. *Matthæus præter Spiritus Sancti impulſum ex ſociorum rogatu Evangelium vulgavit.* p. 13. 14. n. XI.

XVIII *Idem præſtitit Marcus Romanorum precibus permotus.* p. 14. 15. n. XII.

XIX. *Pſeudo-Evangelia, precesque fortaſſe fidelium occaſionem Lucæ ſuppeditarunt Evangelium litteris conſignandi.* p. 16. n. XIII.

XX. *Hæreſes ac preces Epiſcoporum Aſiæ ad Evangelium ſcribendum Joannem permoverunt.* ibid.

XXI. *Epocha Evangelii Matthæi anno ab aſcenſu Chriſti D. 8. probabiliter figitur.* p. 17. n. XIV.

XXII. *Epocha Evangelii Marci an. ab Aſcenſu Chriſti.* 10. ibid.

XXIII. *Lucæ vero ab eodem aſcens. an.* 15.

XXIV *Ac demum Joannis an.* 30. ibid.

XXV. *Græca Matthæi verſio ab ipſa Apoſtolorum ætate fuit authentica.* p. 17. 18. n. XXI.

XXVI. *Divina Evangeliorum authoritas ſolidiſſimis innititur extrinſecis argumentis.* p. 18. 19. 20. n. XVI.

XXVII. *Eadem divina authoritas ex hæreticorum agendi ratione deducitur* 0. 20. 21. 22. n. XVII.

XXVIII. *Eadem Evangeliſtarum ſingulis fides eſt adhibenda.* p. 22. n. XVIII.

XXIX. *Libri Evangelici integri ſunt, atque incorrupti.* p. 23. 24. n. XIX.

XXX. *Latina Vulgata N. T. editio eſt authentica.* p. 24. 25. 26. n XX.

XXXI. *Zacharias de quo Lucas cap. 1. fuit ſummus Sacerdos in ordine vicis ſuæ.* p. 26. 27. n. XXI.

XXXII. *Zachariæ de naſcituro ſibi filio filio diffidentia, culpa non vacavit.* p. 27. n. XXI.

XXXIII. *Joannes Baptiſta in utero Matris fuit ſanctificatus.* p. 28. n XXI.

XXXIV. *Maria Virgo ante ei annuntiatum Incarnationis myſterium Joſepho erat deſponsata.* p. 28, 29. n. XXII.

XXXV.

XXXV. *Nulla eſt proprie dicta inter Matth, cap. I. & Luc. cap. III. circa Genealogiam Chriſti diſſonantia. p. 29. 30. 31. 32. n. XXIII.*

XXXVI. *Chriſtus D. genus traxit ſuum ex Regio Davidis ſanguine. p. 32. 33. n. XXIV.*

XXXVII. *Matthæus cap. I. v. 23. recte citat. vaticinium Iſajæ. p. 33. 34. n. XXV.*

XXXVIII. *Joseph non ideo voluit Mariam dimittere, quod ſe ejus conſortio indignum exiſtimarit. p. 34. n. XXV.*

XXXIX. *Maria ſemper virginitatem coluit. p. 34. 35. n. XXV.*

XL. *Herodes Rex fuit alienigenat p. 35. 36. n. XXVI.*

XLI. *Ex duplici Herodis Epocha recta prima figitur an. V. C. 714. p. 36. n. XXVII.*

XLII. *Altera an. V. C. 717. probabiliter ſtatuitur. p. 36. n. XXVII.*

XLIII. *Chritus D. natus eſt aut an. V. C. 749. aut præcedenti. p. 37. 38. n. XXVIII.*

XLIV. *Chriſtus D. natus eſt VIII. Kalend. januarias p. 38. n. XXXIX.*

XLV. *Magorum hiſtoria apud Matth. cap. II. eſt genuina. p. 39. n. XXX.*

LXVI. *Magi ante Mariæ Purificationem Bethlehem perveneiunt. p. 39. n. XXX.*

XLVII. *Magi ex Arabia Felice advenerunt. p. 39. n. XXX.*

XLVIII. *Magi non fuerunt præſtigiatores. p. 40. n. XXX.*

XLIX. *Regia fuiſſe inſignitos dignitate pia eſt, ac probabiliſſima ſententia. ibid.*

L. *Matthaeus cap. 2. v. 5. non contradicit Michaeae cap. 5. v. 1. p. 41., n. XXXI.*

LI. *Herodianum infanticidium contigit paucis poſt Purificationem diebus. p. 41. 42. n. XXXI.*

LII. *Duplex diſtinguenda eſt imperii Tiberii Epocha, àc prima Proconſularis an. V. C. 765. merito figitur. p. 62. n. XXXII.*

LIII. *Altera Tiberii Epocha Auguſtæa jure ſtatuitur an. V. C. 767. p. 43. n. XXXII.*

LIV. *Chriſtus D. baptizatus eſt an. V. C. 779. p. 43. n. XXXII.*

LV. *Die vero VIII. idus Ianuarias ibid,*

LVI. *Vera fuit columba, quæ ſuper Chriſtum deſcendit, dum baptizaretur. p. 44. n. XXXIII.*

LVII. *Qui interfuerunt Chriſti bapiſmo miracula tunc patrata ſenſibiliter noverunt. p. 45. n. XXXIII.*

LVIII. *Diabolus Criſtum tentans probabiliter voluit explorare, an eſſet Homo Deus. p. 45. n. XXXIV.*

LIX. *Nathanael de quo Joan. Cap. 1. non eſt Apoſtolus Bartholomeus. p. 46. 47. n. XXXV.*

LX. *Immo nec inter Apoſtolos fuit a Chriſto D. cooptatus. p. 47. n. XXXV.*

LXI. *Joannes Evangeliſta non fuit ſponſus nuptiarum, quibus interfuit Chriſtus D. in Cana Galileæ. ibid.*

LXII. *Chriſtus llis in nuptiis Virginem Matrem non reprehendit. ibid.*

LXIII. *Joannes Baptiſta ſemel tantum fuit carceri mancipatus. p. 48. n. XXXVIII.*

LXIV. *Petrus, & Andreas ter fuerunt a Chriſto D. vocati. p. 48. 49. n. XXXVII.*

LXV. *Nulla eſt inter. Evangelistas de morte filiæ Jairi antilogia. p. 49. 50. n. XXXVIII.*

LXVI. *Dies feſtus, de quo Joannes cap. V. fuit Paſchalis. p. 50. n. XXIX:*

LXVII. *Sabbathum ſecundo-primum eſt primum ſabbatum a 2. die azymorum. p. 51. n. XXXIX.*

LXVIII. *Idem eſt ſermo Chriſti in monte, quem referunt Matth. & Luc. cap. VI. p. 51. n. XL.*

LXIX. *Centurio, cujus ſervum Chriſtus ſanavit, non fuit judæus, p. 54. n. XLI.*

LXX. *Una eadamque fuit Maria ſoror Lazari. & Maria Magdalena p. 53. n. XLII.*

LXXI. *Chriſtus adiit Nazareth poſt traditas parabolas ſeminis, Zizaniorum &c. p. 54. n. XLIII.*

LXXII.

LXXII. *Chriſtus multiplicavit quinque panes in oppoſita ripa e regione Bethſaidæ p. 55. n. XLIV.*

LXXII. *Illa Chriſti verba : Et ſuper hanc* Petram &c. *de Perſona B. Petri ſunt intelligenda. p. 56. 57.n.XLV.*

LXXIV. *Tributum de quo Matth. cap.17. non erat Cæsareum p. 57. 58. u. XLVI.*

LXXV. *Authentica eſt Joan. cap. VIII. mulieris adulteræ hiſtoria. p. 59. n. XLVII.*

LXXVI. *Zacharias de quo Matth. cap. XXIII. & Lucas 11. filius Jojadae p. 61. 62. n. XLVIII.*

LXXVIII, *Adoleſceus de quo Matth. cap. XIX. alius eſt a Legisperito, de quo Marci cap. X. p. 62. 63. n.XLIX.*

LXXVIII. *Duplex eſt hiſtoria cæcorum, de quibus Matth. cap.XX., & Marcus X. ac Luc.XVIII. p. 63. 64. n.L.*

LXXIX. *Eadem eſt unctio, de qua Joannes cap.XII. Matth. cap.XXVI. & Marcus cap. XIV., pag. 64. n.1.*

LXXX. *Matthaei cap.XXXIX. sermo eſt de coeſummatione Jeruſalem p. 64. 55. n. II,*

LXXXI. *Abominatio deſolationis, de qua Matth. cap. XXIV. ad prophanationem Templi Jeruſalem referimus. n. 61. n. Ll.*

LXXXII. *Chriſtus D. anno vitæ ejus poſtremo paſchalem agnum manducavit. p. 65. n. III.*

LXXXIII. *Hebræi Pascha debebant manducare die Niſan XIV. exeunte. ibid.*

LXXXIV. *Chriſtus D eodem die, quo cæteri judaei idipſum præſtitit. ibid.*

LXXXV. *Judæ quoqe cum cæteris Apoſtolis data eſt Eucbariſtia. p.68.n.LII.*

LXXXVI. *Autentiam habeut 23. poſtremi verſus Evang. Joann. p. 68. 69. n. LIII.*

LXXXVII. *Quo die Chriſtus Pilato traditus eſt Judas laqueo ſe ſuſpendit. p. 69. 70. n. LIX.*

LXXXVIII. *Matthæus cap. XXVII. v. 9. recte citat Iſaiam. p.70. u. LIV.*

LXXXIX. *Milites ſuper omnes Chriſti veſtes non miſerunt sortem p. 71.n.LV.*

XC. *Vterque latro Christum non blasphemavit. ibid.*

XCI. *Tenebrae in Christi morte fuerunt univerſales ibid.*

XCII. *Christus crucifixus est an.XV.imp. Tiber. Augustaei. p.72. LVI.*

XCIII. *Die vero VIII. Kalen.. April.ibid.*

XCIV. *Hora Tertia moraliter ; ſexta vero reapſe fuit crucifixus. p.73.u.LVI.*

XCV. *In Evangelistis non ſunt circa adventum mulierum ad ſepulchrum veri nominis antilogiae. p. 73. 74. 75. 76. n. LVII.*

XCVI. *Decem ſunt apparitiones Evangelicae. p. 76. u. LVII.*

XCVII. *Apostoli eligendo Matthiam per sortes a culpa ſuerunt immunes. p. 78. 79. n. LVIII.*

XCVIII. *Non modo ſuper Apostolos, sed & ſuper alios deſcendit Spiritus Sanctus. p. 79. n. LIV.*

XCIX. *Pluribus linguarum generibus Apostoli loquebantur p. 79. n.LIX.*

C. *Initio Ecclesiae non omnes prorsus Fideles in communi vixerunt. p. 80. n. LX.*

CI. *Diaconi ab Apostolis electi non ſuerunt tantum menſarum, Viduarumque ministri. p. 80. n. LXI.*

CII. *S. Stephanus lapidatus est integro ad minus post Christi mortem anno: p. 81. u. LXI.*

CIII. *Simon Magus ſimulate ſidem amplexus est. p. 81. 82. n. LXII.*

CIV. *Romani Simoni statuam erexere. p. 82. 83. u. LXIII.*

CV. *B. Petrus praeclare de Simone egit triumphum. p. 83 u. LXIII.*

CVI. *Paulus prope Damaſcum Christum D. vidit oculis corporeis. p. 82. n. LXIV.*

CVII. *Petri incarceratio contigit Imper. claud. an. 2. p. 85. n. LXV.*

CVIII. *Romam Petrum non veniſſe ineptiſſime negant eterodoxi. p. 85. 86. 87. n.LXVI.*

CIX. *Jerosolymitanum Concilium habitum cenſemus an. Æ. V. 50. p. 87. n. LXVII.*

CX. *Athenienses aliquomodo Deo vero aram erexeruat. p.* 88. 89. *n. LXVIII.*

CXI. *Criſpum de quo cap. XVIII. v.* 8. *alium fuiſſe a Soſthene arbitramur. p.* 89. *n. LXIX.*

CXII. *Epiſtola Abgari ad Ieſum Chriſtum, ac viciſſim eſt fictitia. p.* 90. *n. LXX.*

CXIII. *Epiſtola ad Romanos Graece fuit exarata. p.*92. *n. LXXII.*

CXIV. *Omnes prorſus Judaei in fine mundi non ſunt convertendi. p.* 92, 93. *n. LXXIII.*

CXV. *Ephesi ſcripta fuit Epiſtola prima ad Corinth. p.* 9, *n. LXXIV.*

CXVI. *Baptiſmus pro mortuis, de quo Paulus cap. XV. tropice eſt accipiendus p.* 94. *n. LXXV.*

CXVII. *Pauli ad beſtias pugna litteraliter merito intelligitur. p.*94. 95. *n. LXXV.*

CXVIII. *Paulus quoad animam in Cœlum raptus fuit p.* 95. *n. LXXVI.*

CXIX. *Epiſtola ad Epheſios Romae fuit exarata. p.* 96. *n. LXXVIII.*

CXX. *Epiſtola ad Philippenses ſcripta eſt ad omnes omnino Fideles Philipenſes. p.* 96, *n. LXXVIII.*

CXXI. *Paulus ſcripſit ad Coloſſenſes, ſed Evangelium eiſdem non prædicavit. ibid.*

CXXII. *Epiſtola utraque ad Theſſalonicenſes ſcripta eſt Corinthi non Athenis. p.* 96. 97. *n. LXXVIII.*

CXXIII. *Epiſtola prima ad Timotheum data eſt Philippis. p.* 97. *n. LXXIX.*

CXXIV. *Item epiſtola ad Titum, ibid.*

CXXV. *Epiſtola ad Philemonem Romae in primis vinculis conſcripta fuit. p.* 98. *n. LXXIX.*

CXXVI. *Secunda ad Timotheum Romae in ſecundis vinculis eſt exarata. ibid.*

CXXVII. *Epiſtola ad Hebraeos Paulum habet auctorem. p.* 93. *n. LXXX.*

CXXVIII. *Catholicae ſeptem Epiſtolae ſunt divinae auctoritatis. p.* 99. *n. LXXXI.*

CXXIX. *Apocalypſis ſacra eſt & Canonica ſcriptura p.* 101. *n. LXXXII.*

CXXX. *Joannes fuit ejuſdem auctor. p.* 102. *n. LXXXII.*

CXXXI. *Apocalypsis ſcripta eſt Domitiano Imperante, in inſula Pathmos. ibid.*

Digitized by Google

Disputabuntur in Templo S. Augustini die 15. Decembris anno 1795. facta a tertio Professoribus contradicendi facultate.

MQ G 2012911

1-6-2

Digitized by Google